BIBLIOTECA CENTRAL

gloriæ noſtræ principium; ſine hac nihil poſſumus, cum hac omnia. Hæc donum eſt cœlitus datum, ac immediate a Patre luminum deſcendens, nos convertens, ac in alios homines mutans; per hanc ſumus, quidquid ſumus, ut inquit Apoſtolus, ſi tamen aliquid coram Deo ſumus: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Attamen, mirum! hoc ipſum donum craſſa ignorantia non cognoſcimus, & non ferenda ingratitudine quotidie fruſtra recipimus. Heus! quid prodeſt illius meritum, & magnitudinem aſſequi, ſi omnibus ferme vitæ momentis eodem abutimur? Hac de cauſa Salvator Samaritanam allocutus mulierem exprobrat illi ignorantiam: *Si ſcires donum Dei! P. Bourdalove in Sermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur. Sermone de Samaritana.*

1. ad Cor. 15.

Quomodo ſe nobis accommodet gratia.

Gratia de nobis relatura triumphum, ſeſe ut ita dicam ſubjicit nobis; abſit verbo invidia, nihil enim derogat gratiæ dignitati; ſeſe ſubjicit nobis eo uſque, ut Dei patientiam fatiget, ac nos integros annos præſtoletur, quin libertati noſtræ vim faciat. Hæc locum, tempus, & commodam captat occaſionem, ut nos lucretur; ipſa prior nos prævertit, & tantum abeſt, aliquid ipſum vi a nobis extorquere, quod immo precibus, blandiſque promiſſionibus utitur: ipſa ſe noſtris denique ſubmittit infirmitatibus; noſtro ſe accommodat temperamento, & ſi efficit, ut cœleſtia quidem bona magno, terrena autem parvo faciamus; tunc efficit, cum ſexcentis experimentis eorum quidem ſoliditatem, horum vero fragilitatem nobis probavit. *Idem.*

Pretium, & nobilitas gratiæ, ac diſtinctio, quæ ab eadem fit.

In gratia autem admirari poſſumus cum illius pretium, & nobilitatem, tum eam diſtinctionem incomprehenſibilem, quam vel illa facit, vel Deo per illam facere placet. Pretium ejus tantum eſt, ut unicus gratiæ gradus pluris faciendus ſit, quam omnia naturæ bona; ipſe eſt Sanguinis Jeſu Chriſti fructus, & quidam jure ait, gratiam Dei ipſius pretio æſtimari, quandoquidem per eamdem in ſtatum adducimur æternæ Dei poſſeſſionis acquirendæ. Diſtinctio autem, quam inter homines facit, vel per illam facit Deus, non eſt minori digna admiratione. Ex duobus hominibus Deus alterum per gratiam ſuam eligit, relinquit alterum. Ex duobus peccatoribus alteri converſionis gratiam largitur, gratiam videlicet efficacem, alteri negat. Quorſum iſtud diſcrimen? Ne conemur, Fratres, impenetrabile ſecretum ſcrutari; namque in errorem labemur, Sancto Auguſtino monente: *Quam trahat noli dijudicare, ſi non vis errare.* Gratia interior eſt Spiritus Sancti motus; ſed ubi, quando, quoties, quomodo, & quibus regulis divinus hic Spiritus operatur? Equidem nihil ſcio, & cum Apoſtolo exclamare tantummodo poſſum; O abyſſus! O profunditas! O altitudo! *P. Girouſt, Sermone de ſubtractione gratiarum.*

Gratia peccati illecebras aufert.

Nihil præter gratiam infringere illud facinus poteſt, quod peccatum animæ parit. Cum enim in mente magnas illas excitat ideas Dei juſti, Dei ultoris, mortis reproborum, judicii ſine miſericordia, ſententiæ ſuæ provocatione, infeliciſſime æternitatis peccatum cum illecebris ſuis nos fallere nequit; illius virus detegitur, funeſti ejuſdem effectus dignoſcuntur; horror, terrorque inceſſit, atque ſancta formidine trepidantes ad medicinam confugimus, atque ex eo ſtatu emergere feſtinamus, cujus improbitatem, horroremque cognoſcimus. Sed ubi non loquitur amplius gratia, cum non amplius agit, tunc ea ſolum in peccato ſpectantur, quæ nobis blanda, & jucunda videntur. *Idem.*

Cum Dei gratia reſpuimus, tunc Deus illas aufert a nobis, noſque relinquit.

Si gratiæ fideles extiteritis, omnes Divinæ bonitatis theſauri vobis patebunt, ſed cum luminibus ejuſdem rebelles Deum laceſſere perrexeritis, cum licet ille ſuis beneficiis vos in officio continere ſtuduerit, ultro, ac ex vobiſmetipſis ab eo diſceſſeritis; cum, quamvis ille vos prævertere, atque ad ſe revocare ſatagerit, vos in pertinaciſſima obſtinatione mordicus perſiſtentes obſtruxeritis aures monitis, quæ vel per ſe vel per alios ſuggerit vobis, ſinentes illum integros annos agere, & loqui, quin illi reſpondeatis: quæ umquam vobis tunc erit occaſio conquerendi, ſi ille tandem ſuam vobis gratiam ſubtraxerit, ſi toties a vobis contemptus vos viciſſim contempſerit, ſi poſtquam contra illum toties voſmet induraſtis, ipſe quoque in vos ſe inexorabilem præbuerit? Nonne hac eadem ratione, & vos contra amicos veſtros utimini, qui vos aliquando relinquunt? *Idem.*

Deus ſuas amovet gratias, cum illas inutiles efficimus.

Deus non ſolum propter ſcelera, & nequitias noſtras a nobis ſuas amovet gratias; ſed plerumque hoc ipſum facit, quia iiſdem, uti oportet, non utimur. Cur enim vobis Deus ad agendum ſubſidia præbeat, cum jugiter otiari velitis? Nonne Dei gratias abjicit, & polluit, qui eas in illum non adhibet uſum, ad quem deſtinantur? ... Audite hac de re Prophetam Iſaiam, vel potius Deum ipſum per os illius ita loquentem: Quid eſt, quod potui facere vineæ meæ, & non feci? Sepibus, ac maceria circumdederam illam, nulliſque ſumptibus pepercera m, ut eamdem excolerem. Cœlum, jubente me, imbribus illam rigaverat; quid poſt hæc poteram expectare? Sed nihil in illa inveni ex iis, quæ me collecturum ſperaveram. Hæc igitur non erit amplius vinea mea; evertam muros, quibus illam circumundique communiveram: *Diruam maceriam ejus.* Imperabo, ut non ſeratur ultra, & prohibebo, ne ſuper illam ros decidat: *Non putabitur, & non fodietur: Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Patebit illa omnibus prætereuntibus, *& erit in direptionem.* Quæ omnes figuratæ ſunt loquendi rationes indigitantes quomodo agat Deus cum illis, qui ſuis abutuntur gratiis, eaſque inutiles reddunt. *Idem.*

De gratiarum Dei ſubſtitutione.

Aliqua in domo, ubi natu major occumbit, natu minori locum facit; & in domo Patris cœleſtis in ordine ſupernali aliorum reprobatio ſalutem aliorum conſtituit. Quomodo hoc? per gratiarum ſubſtitutionem. Eſther in locum Reginæ Vaſthi fuit ſubſtituta; David ad Saulis ſolium evectus fuit; & Apoſtolatum a Juda amiſſum S. Mathia accepit. In hac autem gratiæ ſubſtitutione non ſolum juſtitiam ſuam Deus exercet in illis, quos loco movet, verum etiam illius ſimul ſapientia, & miſericordia elucet in illis, quos ſuis muneribus cumulat .... Ita etiam ſuam exercet juſtitiam. Judæi, natio incredula! gens olim Deo adeo chara vos illum abjeciſtis; vos ille abjecit. Vos illius filii eratis, & hæredes regni ipſius; olim in Judæa tantum, & a vobis agnoſcebatur; vobis ille dederat de cœlo mannam, qua veſceremini, & vos primum extruxeratis Templum in honorem illius. Felices ſi frui noviſſetis gratia ejuſdem, atque tantum illud boni, quod poſſidebatis, tueri. Sed obliti eſtis Dominum Deum veſtrum, fuiſtis rebelles gratiæ illius, & ipſe vos dereliquit. Ubi nunc altaria veſtra, ubi propitiatoria? Ubi victimæ, & preces veſtræ? Heu! ubi vos eſtis? Errones, vagi, in omnibus terrarum plagis diſperſi, neque domum certam habetis, nec Synagogam, nec Templum. Ex populo adeo frequenti nihil ferme ſupereſt præter nomen; quale vero nomen? quæ ignominiæ nota huic nomini inuſta eſt? quis illud non perhorreſcit? Reprobans Deus ſceleſtiſſimam gentem, recentem ſibi populum ſuſcitavit, quem ſibi adoptavit, atque ſanctificavit. *Idem.*

Fallax eorum prætextus qui dicunt ſe expectare gratiam ut convertantur.

Quis prohibet, ne Deum ſequamini? quis vos ab illius ſervitute deterret? At enim gratiam præſtolor, inquies, expecto felix illud momentum, quod mea vincula infringat. Quid autem? Veritates, quæ tibi quotidie annuntiantur, nonne ſunt gratiæ Dei? Quæſo quid eſt gratia? Lumen ſane in intellectu, & ardor in voluntate .... Gratiam expectas; dicere audes, hanc tibi deeſſe poſt eos ſenſus, quos per os Concionatorum Deus tibi toties inſpirat? audes blaſphemiis laceſſere providentiam aſſerentem, ſe quidem velle, te vero nolle converſionem tuam: *Quoties volui, & noluiſti?* At fortiorem gratiam expectas: videlicet Deo invitanti inſultas; non ſatis te urget; atque infirmis hiſce ſollicitationibus te non dedis. Parum eſt quod te quærat, ingrate? Vis etiam illi modum præſcribere, quo te quærere debeat. Fortiores gratias ſperas, numquid levioribus obſurdeſcere ratio eſt validiores aſſequendi? Quibus gratiis olim afficiebaris? Hodie te non movent amplius. Mors inopinata, ærumna gravis, amici perfidia, dolor, exemplum pœnitentiæ, dum primis adoleſcentiæ ardoribus æſtuabas, te ad mentem, officiumque revocabant; hodie vero te nihil percellit; & gratiam expectas? Quæ illuſio? At quam gratiam expectas? eam, quæ ſola tuæ converſionis opus abſolvat? Quæ inſania! ullane eſt gratia, quantumcumque potens ea ſit, cujus effectus ab hominis cooperatione non pendeat? Donec autem expectas, nihil agit voluntas tua; igitur donec expectas, impoſſibilis eſt converſio tua. Sed victricem gratiam expectas quæ te rapiat, cujus illecebra, & ſuavitas te ad bonum trahat ſine tumultu, ſine certamine, ſine difficultate: aliud inſaniæ genus. Cor non mutat repente objectum, & ſtudia quin ſibi vim faciat. Fortis armatus, qui cor tuum poſſidet, gratiæ aditum intercludere adnititur; nonniſi difficillime ſe patitur expelli, vi debet vinci,

Matth. 23.

præliiſque debellari. De virtute ad vitium tranſitus non eſt adeo facilis; multo labore faciendus eſt: procella debet malaciam præcedere; gratia laborem imminuit quidem, non aufert. *P. Cheminais Sermone de Magdalenæ pœnitentia.*

Obtemperandum eſt voci Domini per gratiam vocantis.

Rubore ſuffundamur, fideles, ac nobiſmetipſis moras, cunctationeſque noſtras exprobremus; Noſmet humiliemus coram Domino, & ad miſericordiam illius confugiamus; poſtquam pluribus annis illum prope nos languentem paſſi ſumus, ne dimittamus illum, quin eidem ſatisfaciamus. Aperiamus illi cordis aures: noſtræ hoc ſalutis intereſt. Dei Vox, Verbum Dei caro factum fuit humanæ ſalutis initium; & interior vox gratiæ Dei neceſſarium eſt adminiculum ad opus hoc perficiendum. Igitur aurem non adhibere gratiæ loquenti, atque petenti, idem eſt, ac ſalutem in apertum diſcrimen adducere, ac certiſſimum pereundi periculum ſubire. Deus enim vobiſcum aget, quomodo vos cum illo; eademque vos menſura, qua vos cum illo uſi eritis, metietur. Vocat, nec reſpondetis, petit, neque illum audire videmini, urget, ſollicitat; neque ceditis. Nunc id accidit, quod vultis, mox accidet viciſſim, quod ipſe volet; illum rogabitis, nec reſpondebit; orabitis, nec ſe flecti ſinet; brachia ad illum tendetis, neque oculos ad vos convertere dignabitur; voſmet illi ſupplices ſtatuetis; ſed avertet faciem ſuam, ne vos videat, & ne videatur a vobis. *P. Girouſt in Quadrageſima Sermone de gratia.*

Neceſſe eſt, ut gratia nos præveniat, & excitet.

Niſi peccatorem excitaverit Deus ea gratia, quam ideo Patres excitantem appellant, ipſe numquam evigilabit. Niſi Deus illum ea gratia præverterit, quam ideo Patres prævenientem vocant, ne pedem quidem proferet, ut revertatur ad Deum. Ego quidem ex me a Deo diſcedere valeo, ſed ego ex me fovere nequeo cogitationem, & cupiditatem ad eum redeundi. Cum enim mihi nullæ ſint niſi vires naturales, quomodo propriis viribus ad ſupernaturalem actum me attollere poſſum? Ego neque ipſum Deum in auxilium accerſere valeo: opus eſt, inquit Propheta, ut Deus non rogatus, neque ſollicitatus per miſericordiam perſequatur eum, qui ab eo fugit per improbitatem: opus eſt, ut Paſtor quærat oves, quæ ultro deerraverunt: *Erravi ſicut ovis, quæ periit; quære ſervum tuum.* Et ut apertius loquar; opus eſt, ut per gratiam ſuam Deus animo noſtro primam bonam ingerat cogitationem, & in corde noſtro primum bonum excitet motum. Quanta porro Dei bonitas eſt, quanta Miſericordia, qui in homine, & in homine nequam prior hæc operatur; effundens in mentem illius adeo clara lumina, quorum ope peccati ſui fœditatem, ſtatus ſui periculum, Dei minitantis iram, ac rationem illius deliniendæ cognoſcat; & in corde interiores excitans motus, qui per illum impellant, ac trahant modo adeo ſecreto ſimul, apertoque, adeo ſuavi ſimul, & forti.

Pſal. 118.

Deus eligit tempus aptum, quo ſuas gratias impertiat, & multifariâ loquitur.

Quoties Deus ardenti ſalutis noſtræ deſiderio actus te allocutus eſt? quoties te prævenit? Ad id autem opportunum tempus elegit, tempus ſolitudinis, & receſſus, tempus pacis, & quietis, cum mentem habens ab omnibus humanis negotiis expeditam, illius vocem melius audire, eique poteras reſpondere. Quot perſonas induit, ut ſeſe tibi offerret? Modo occurrit velut minitabundus Judex, modo tamquam ſollicitus amicus, modo cum toto ſuæ majeſtatis fulgore, uti Deus, modo facie hilari, ſerenaque veluti pater. Sub pedibus tuis tibi inferni flammas oſtendit, ut te deterreret; ſuper caput tuum Cœlum aperuit, ut inflammaret; circum te fulmina ſtrepere juſſit, ut tibi metum incuteret. Effecit etiam ut pœne invito ſanctiſſimæ, ac ſolidiſſimæ tibi ſubirent cogitationes de mundi, ejuſque honorum fragilitate, de tempore, & æternitate, deque tui ſtatus periculo. Ex penitioribus animæ tuæ penetralibus tibi, ut olim Samaritanæ, dixit; *Ego ſum, qui loquor tecum*; ego te voco, ego Dominus, & Salvator tuus: *P. Girouſt. Serm. de Gratia.*

Dei exprobrationes ejuſdem argumenti. Jerem. 3.

Deus tibi ſæpe, ut olim infideli Jeroſolymæ, dixit: *Fornicata es cum amatoribus multis.* Anima ingrata, anima impudica, fidem mihi debitam perfregiſti: temet millies inordinatis cupiditatibus tuis tradidiſti, ac me prophanis idolis poſthabuiſti. Attamen revertere; adhuc tempus eſt; hodie te Deus miſericordiæ alloquitur; at veniet dies, nec procul abeſt, quo Deus erit juſtitiæ, & quo detonabit. Denique non ſatis illi fuit, ipſum ad te loqui; verum etiam per miniſtros ſuos, per ſacros Præcones, homineſque doctos, quos ſuo zelo ſuccendit, te eſt allocutus; nihilque intentatum reliquit. O inæſtimabilem Dei indulgentiam, quam jure Sanctus Paulus, *nimiam charitatem; divitias bonitatis; ſupereminentem charitatem* vocavit. Ubi eſt gratitudo tua? Ubi amor tuus? *Idem.*

Epheſ. 2. Rom. 2. Epheſ. 3.

Suprema gratiæ in animum poteſtas.

Cum Deus per gratiam animæ alicujus factus eſt dominus; illam, quocumque vult, impellit; eam, ut ipſi lubet, dirigit; illi dominatur, & ſolus dominatur. Quid jam ille minitatur, vel quid non minitatur; quid pollicetur, vel quid non pollicetur; jubeat, ſatis eſt; nihil grave, & operoſum videtur, dummodo illi pareatur. Nulla amplius opus eſt arte, ut ſe inſinuet; nihil enim omnipotenti illius gratiæ reſiſtit. Non ſe gerit amplius tamquam amicum, vel Judicem, vel Patrem; ſed tamquam Dominum, & Deum. Quotieſcumque animæ ſecreto hanc voculam intonat; volo; nihil intentatum relinquitur, quidquid cum patientia ſuffertur, ardenter laboratur. S. Paulus afflatus fulmine, atque in terram proſtratus non alios ſenſus habet, quam perfectæ divinis mandatis obedientiæ: *Domine*, exclamat ille, *quid me vis facere?* Nihil excipit, nihil peculiariter ſignat, ſe ſubjicit imperio gratiæ, hujus intereſt imperare: quodcumque iſta jubeat, ille nullo obice prohibet. *Idem.*

Actor. 9.

Deus ſuis gratiis ſollicitat, & petit.

Cum loquitur Deus, tamquam Vindex, vox illius confringit cedros, quatit montes, ac ipſa terræ concutit fundamenta: *Vox Domini confringentis cedros, vox Domini concutientis deſertum.* Sed cum loquitur tamquam Salvator, bonitas, & charitas illum aſſumere cogit ſupplicis vocem, & formam; hortatur, urget, petit, obteſtatur: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Verbo, orationem ſuam caute inſtituit, ſuaviter deducit, ac libertati noſtræ ita parcit, ut ne minimam quidem illi vim velit inferre: *Cum magna reverentia diſponit nos.* Tamquam ſpontaneum munus flagitat, quod tamquam tributum, debitumque poteſt exigere. Attamen hæc vox interior, adeo ſuavis, & lenis frigide, & cum contemptu excipitur. Nonne hoc eſt Deo injuriam afferre? Hoc ſane illud eſt, de quo ſæpe per Prophetas conqueritur. Jeremiæ præcipit, ut hæc exprobret populo ſuo: *Audi popule ſtulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis.* Quid igitur cum tibi occurro, cum te alloquor, cum tibi meam voluntatem aperio, non obedies? *P. Texier in Dominicali Domin. 5. Quadrag.*

Pſal. 28. Apoc. 3. Jerem. 5.

Unica hominis libertas fines, terminoſque Dei bonitati, & poteſtati conſtituit.

Quin gratiam tuam, o Deus, victricem appellem, qualis reipſa eſt, ubi vis; dicere audeo, hominum nequitiam, & improbitatem referre triumphum de bonitate tua, ac fines circumſcribere poteſtati gratiæ hujus; quippe ſola rebellium voluntas obicem ſtatuit conſiliis, quæ de illis iniiſti, & quæ, niſi illi adverſarentur, tua gratia exequeretur. Qua in re hominis voluntas eo audaciæ evaſiſſe videtur, ut in rebellione ſua id Deo dicat, quod mari Deus, ſecundum illa Jobi verba? *Huc uſque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Infinitus, atque vehemens divinæ bonitatis pelagus, intumeſce, ut lubet, & gratiarum tuarum inundationem affer; verum opus eſt, ut cum ad rebellis hominis cor acceſſeris, cujus libertas terminos tibi conſtituit, ibi detumeſcas, atque ſubſidas. O portentum! Cum hinc quidem divini cordis bonitatem, & gratiæ ipſius vim, & poteſtatem perpendimus, inde vero humani cordis humilitatem, atque imbecillitatem; videre in duorum horum cordium, divini ſcilicet, & humani certamine, infirmum, inconſtans, & contemptibile victoriam referre de fortiſſimo, & omnipotenti, atque illud hujus conatus irritos facere, atque ut ita dicam infringere. *Excerptum partim ex P. Texier, partim ex Manuſcripto Sermone.*

Jobi 38.

Gratia ſollicitat peccatorem, ut ex ſtatus ſui infelicitate emergat; & quænam ſit ingratitudo huic gratiæ reſiſtere.

Deus videt animam in vitiorum cæno alte demerſam, eamque de infelici hoc ſtatu, qui Chriſtiano homine indignus eſt, contendit educere; ille huic bonam ingerit cogitationem vanitatis, & fragilitatis inanium, fluxorumque bonorum, quæ inquirit; commovet cor illius, atque eorum nauſeam immittens, dicit illi: Nonne vides inanes has voluptates, quæ tot ſollicitudinibus, curiſque appetuntur; ubi iiſdem fruaris, nihil te niſi pudorem, ac pœnitentiam manere? Attolle paulisper mentem tuam ad me, qui unus totum cor tuum replere poſſum ... Quid autem velle poteſt Deus, eum animæ ſuos mittit Legatos, Concionatores videlicet, qui eamdem obteſtentur, ut de ſe cogitent, ut vitæ ſuæ nequitiam reputent, ut infelicem recogitent æternitatem, quo illam brevi via ſuæ iniquitatis adducere

ducet? Quid ſibi vult Deus, cum interiorem, exteriori ſuæ voci conjungens ſimul ex ipſis animæ adytis loquitur, ſyndereſim excitat, exprobrationes adhibet, miſcet promiſſiones, & minas, & quibuſcumque rationibus urget, ut peccatum relinquat gratiam ipſius receptura? Quid aliud velle poteſt, quam peccatori miſericordiæ ſuæ effectus oſtendere? Verum igitur eſt hanc reſiſtentiam gratiæ injuriam eſſe teterrimo ingrati animi vitio conjunctam. *P. Texier, Sermone pro Quinta Quadrageſimæ Dominica.*

Supplicium quod exercet Deus in eos, qui gratias ſuas abjiciunt, atque contemnunt.

Hoc Dei ſupplicium in eos, qui ejuſdem gratias contemnunt, Sanctus Paulus his exprimit verbis: *Revelatur ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum illorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. Ad Roman.* 1. videlicet in illos, qui Dei gratiam recipiunt, quin inde aliquem capiant fructum, & per ſummum nefas captivas tenent omnes eas veritates, quas illis aperit Deus. Quænam autem eſt ira Dei, quæ ſe ſe prodit in caput eorum, qui gratiam ejuſdem contemnunt? Non eam eſſe putes, Sancti Patres inquiunt, quod Deus, qui ultionum Deus eſt cœlis præcipiat, ut in illos ſua tela contorqueant, terræ, ut dehiſcat, elementis omnibus ut ad ulciſcendam contempti Dei majeſtatem ad arma concurrant. Horum ſuppliciorum pleraque illud puniunt, quod in homine minus eſt noxium; corpus quidem percutiunt, animam vero non tangunt. Non in hoc igitur divinę indignationis elucet magnitudo: *Revelatur ira Dei de Cœlo.* Verum cum maximum divinæ bonitatis erga peccatores argumentum ſit, illos deerrantes conquirere, atque ex imo cordis eorum loqui; ita maxima juſtitiæ ipſius nota eſt peccatores deſerere, ab illis diſcedere, ac ad illos non ultra loqui. Hoc terribile illud ſupplicium eſt, quod verebatur

Pſal. 49.

David, cum dicebat: *Deus meus, ne ſileas a me.* Hoc illud, quod olim populo ſuo per Prophetas

2. Paral. 1.

minitabatur: *Ego reliqui vos.* Ego locutus ſum, ego vocem extuli, ut vos obteſtarer, atque enixis ſollicitationibus vos urgerem; at aures obſtruxiſtis mihi; ego quoque viciſſim tacebo, neque verbum proferam ultra. *Idem.*

Aliqui gratiæ effectus.

Gratiæ hujus ſubſidio viæ virtutis ſternuntur, imminuuntur difficultates, & anima roborata contemnit quidquid illi antea metum injiciebat. Hæc efficit gratia, ut peccator converſus ex ipſo peccato ſuo referat quæſtum, & per fervorem, atque humilitatem, quæ illius pœnitentiam concomitantur, Deo quidem recentem gloriam, Angelis vero recentem conferat lætitiam, qua ea ſuperatur, quam ex nonaginta novem juſtorum, pœnitentia non indigentium, percipiebant. *Ita dico vobis; gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.* *Idem tertia poſt Pent. Dominica.*

Luc. 15.

Pretium gratiæ Dei, & quanti ſit facienda.

Diſcamus quanti faciendæ ſint Dei gratiæ, quibus humilitatis, reverentiæ, gratique animi ſenſibus recipiendæ ſint; & qua cura nobis utendum, ne bonas abjiciamus cogitationes, bonoſque motus, quos Deus nobis inſpirat. *Si ſcires donum Dei*, Jeſus Chriſtus ait Samaritanæ. Ita ſane eſt proculdubio: Si explorata nobis eſſet divinorum munerum dignitas, ſi omnia lumina, quæ per gratiam mentibus noſtris effundit, ſi omnia ſancta deſideria, quæ in cordis noſtri penetralibus excitat, ſi occaſiones omnes, quas offert, ut in virtutum exercitatione progrediamur, a nobis haberentur tamquam fructus meritorum paſſionum, mortis, ſanguiniſque illius, profecto alios ſenſus foveremus; minime etiam illius gratiæ ſanguine ejuſdem nobis viderentur imbutæ, ac longe majorem in nobis vim obtinerent; ſumma caveremus diligentia ne pretioſa hæc divini amoris pignora, vel contemneremus, vel in periculum adduceremus, eaque eadem reciperemus reverentia, qua prope Crucem adſtantes defluentes Dominici ſanguinis guttas, vel qua Corporis Jeſu Chriſti membra conciſa, atque in terram labentia colligeremus. *La Font pro 4. Dominica poſt Pentecoſten.*

Intereſt noſtra bene uti gratiis Dei.

Ipſa etiam utilitas noſtra Dei gratias nobis commendare debet, quia ſunt omnium bonorum meritorumque noſtrorum origines. *Si ſcires donum Dei!* Eheu! Si ſcires, qua mente Deus tibi ſuam gratiam largiatur, & quos admirabiles effectus per eamdem in te velit operari; ne illam adeo frigide non exciperes. Hæc ratio eſt, qua utitur Deus, ut omnia Filii ſui tibi applicet merita, hoc eſt generale rerum omnium, quibus indigemus, ſupplementum; hic denique infinitus eſt theſaurus, & veluti fons inexhauſtus cœleſtium bonorum; & qui illam recipiunt id dicere poſſunt, quod Salomon de ſapientia; ſe quovis divitiarum genere fuiſſe cumulatos, & omnium votorum ſuorum ſummam fuiſſe conſecutos: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, infinitus enim eſt theſaurus.* Hæc profecto reparat omnia corruptæ naturę damna; hęc ineffabili lumine, quod in mentes noſtras infundit, earum diſſipat cæcitatem, omneſque nobis virtutis quidem illecebras, vitii vero fœditates oſtendit; hęc voluntatis roborat infirmitatem; depravatoque guſtui medetur efficiens, ut a nobis ametur, quod olim pati non poteramus. Hæc affectuum noſtrorum vim coercet, & eadem virtute, qua reprimit motum appetitus, quo ſemper in malum capitur, novum inſpirat robur voluntati, ne in virtutis inquiſitione fatigetur. Hæc denique virtutis, ideoque & cœli viam nobis ſternit, hæc jugum mandatorum Dei leve, atque jucundum efficit; hæc ſolum eſt omnium bonorum operum principium; nec non omnium meritorum noſtrorum inchoatio æque, ac perfectio. *Idem.*

Sap. 7.

Quid ſit gratia, & ad quid nos excitet.

Te vehementi inſpiratione ſentis afflatum inviſendi egenum ægrotantem, atque operam tuam locandi, ut deerrantem aliquem ad virtutis ſemitam revoces; te intrinſecus adactum ſentis, ut mundi hujus cœtus, & conſortia devites; offert tibi Deus opportunam occaſionem alicujus boni operis inſtituendi; pauperum ſolatium, opemque, vel rudium, agreſtiumque hominum inſtructionem procurandi. Ipſe te urget, ut eleemoſynam eroges, ut mortificationem exerceas, ut cum eo, a quo læſus es, & in quem aliquam ultionis foves cupiditatem, redeas in gratiam. Quænam cedere poteſt Deo utilitas, ſi gratiis ejus parueris? Nulla ſane; ſed ad tuam tantummodo utilitatem, & ſanctificationem te ad virtutum harum exercitationem impellit. Cave igitur, ne bonos hujuſmodi motus repellas: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Eheu! ſi noſſes quanti referat, non pati, ut adeo præclaræ te meritis locupletandi occaſiones elabantur; ſi ſcires quo tendant hi motus, videlicet ut tibi beatam æternitatem procurent, næ illos minime ſperneres, aut negligeres ut facis, inanem prætexens excuſationem, quod ad ea, quæ tibi bona opera inſpirant, nulla neceſſitate teneris. *Idem.*

Pſal. 94.

Fidelitas Dei gratiis adhibenda.

Summa officii fide reſpondere opus eſt voci Domini vocantis; neque luminibus ejus, gratiiſque ſenſus omnes obſtruere fas eſt, ſed ſancti viri Job exemplum eſt imitandum, dicentis: *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Attentus ero voci tuæ, & curabo, ut celeri obedientia eidem reſpondeam; alioquin hoc eſt eam ſubire exprobrationem, qua Filius Dei civitatem Jeruſalem redarguit, eo quod non cognoviſſet tempus, quo illam viſitaverat Deus: *Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Vide, Sanctus Bernardus ait, qua vigilantia agricola tempus obſervet ſerendi fruges, ac illud fruſtra non ſinat effluere. *Idem.*

Luc. 19.

Deus in eos, qui ſuas gratias contemnunt earumdem ſubtractione animadvertit.

Quemadmodum Deus majores non denegat gratias iis, qui ſedulo utuntur minoribus, vulgatius ſupplicium, quo illos percutiat, a quibus eæ rejiciuntur, vel negliguntur, eſt earumdem gratiarum ſubtractio. Multifariam Deus ad hominum cor loquitur, ſed plerumque, ubi illi divinam vocem audire abnuunt, eos ſilentio punit, eiſque, ut olim Judæis minitatus eſt, divinam faciem abſcondit: *Abſcondam faciem meam ab eis.* Et ratio conſtat; cum enim Deus de rebus omnibus, prout ſibi libitum fuerit, diſponat; ac in omnibus operibus ſuis non alium, præter beneplacitum ſuum, legem ſequatur; præſertim in gratiarum ſuarum diſpenſatione ſupremum hoc jus ſibi vendicare gloriatur, eas cuicumque ſibi placuerit tribuendi, atque auferendi, quin de hoc aliquis conqueri poſſit. Verum quia gratiæ, quibus cumulati fuimus, flocci a nobis factæ fuerunt, noſmet indignos præbemus, qui recentibus cumulemus. *Indignus eſt accipiendis, qui fuerit de acceptis ingratus*, Sanctus Bernardus ait. Ingrati animi noſtri vitium Deum cogit, ut manus coarctet, beneficia ſua in nos priori cum effuſione non amplius effundat, atque in gratiarum ſuarum contemptores earumdem ſubtractione animadvertat. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Divina Sapientia certum conſtituit ordinem, ſecundum quem ſua dona, gratiaſque ſuas diſpenſat hominibus; & quamvis nihil illi vetitum ſit, neque ulli poteſtati ejuſdem circumſcripti ſint fines, perraro ſecum ab ordine propoſito diſpenſat. Itaque paſſim renuit recentes iis conferre gratias, qui earum abuſu, & contemptu ſe eiſdem præbent indignos: *Ordine ſuo, non noſtro arbitrio*, S. Cyprianus ait, *voluit nobis Spiritus Sanctus miniſtrari.* Non ſecundum placitum, libidinemque noſtram Deus ſuas nobis gratias diſpenſat. Vellemus nobis integrum eſſe, illas, ut magis placuerit, excipere, vel rejicere, iiſque rejectis, in noſtra poſitum eſſe facultate, aliis, ubi voluerimus, adjuvari; at longe aliter accidit; & punit plerumque Deus oblatarum gratiarum contemptum, earum, quas ſe oblaturum decreverat, ſubtractione. *Idem.*

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Ejuſdem argumenti.

Sanctus Auguſtinus ait, contemptui gratiarum nullam æquiorem dari poſſe pœnam, quam earumdem gratiarum ſubtractionem; & æquum eſt, ut qui converſi non ſunt, cum facillime poterant, ubi voluerint, converti minime valeant: *Hæc eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quis, quo bene uti noluit; & qui agere recte, cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit.* Res ſane mira, & propter quam ii etiam, qui majori ſanctitatis laude florent, contremiſcant: hæc gratiæ ſubtractio ſæpe eſt pœna defectus, quo reſpondere noluimus ſanctæ inſpirationi ad alicujus boni operis, non quidem de præcepto, & neceſſitate, ſed de conſilio, exercitationem invitanti. Levis culpa, & ſæpe levis eſt imperfectio non adimplere omne illud bonum opus, quod poſſumus; ſatis eſt tamen ad hoc, ut Deus ſuas gratias imminuat, nobiſque auferat ea, quæ deſtinabat ſubſidia, ut de potenti aliqua tentatione victoriam reportaremus. *Idem.*

Deus libertati noſtræ non adhibet vim.

At enim, nonne peccatoribus, licet obluctentur, auferre poteſt Deus cor lapideum, eiſque cor carneum tribuere, quo & ipſum, & ea, quæ ipſe amari voluerit, poſſint amare? Hoc utique poteſt; cor enim mortalium omnium in ipſius manibus eſt:

Jerem. 18.

Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, quemadmodum ipſe per Prophetam ait; verumtamen ille non vult omni poteſtate ſua uti, ac inſueta ratione operari. Vult homines conſuetis adminiculis uti. Illos mavult illuminare, eos alloqui, illos inſpirare, illis ea præbere ſubſidia, quæ ad eorum converſionem, & ſanctificationem ſunt neceſſaria; ſed ſi, quin eiſdem reſpondeant, negligunt, aures ſibi obſtruunt, oculos claudunt, atque indurant corda ſua; ſuas ille amovet gratias, miſerationum ſuarum curſum ab illis detorquet, eos deſerit, & reducit manum, quæ ad illos tetenderat, quod pleriſque quotidie contingit. *Abbas Trappenſis in brevibus documentis, quæ in quibuſdam Collationibus tradidit.*

Gratia noſtram flectit voluntatem quin illam cogat, & inde efficax ſit.

Apage hinc homines, qui ſub ſpecie Redemptoris gratiam celebrandi, homini eam præripiunt gloriam, quam Deus illis conceſſit, non ſine ejuſdem præſidio, immortalitatis coronam merendi; qui ſimulantes gratiæ virtutem augere, aſſirmare non audent, omnia opera noſtra bona tot eſſe triumphos, quos de noſtra libertate reportat. In hoc igitur gratiæ virtus conſiſtit, quod iis medetur vulneribus, quæ peccatum noſtræ intulit libertati, nobis majus erga virtutem ſtudium immittens, quam quod originale peccatum erga malum ingeſſerat, tantumque amoris pro juſtitia nobis inſpirans, ut, quamvis peccare poſſimus, quia ſemper liberi ſumus, & adhuc in via, tamen difficilius in ſcelus labamur, quam exerceamus virtutem. Vere nihilominus affirmamus, Jeſu Chriſti gratiam hominum voluntatibus dominari, eamque ſibi ſubjicere corda, quæ per peccatum ab ejuſdem obedientia receſſerant; hæc quidem cogere poſſet, ſed ſuavitate ea demulcere mavult, quam vi ſuperare, & ut plurimum novos Jeſu Chriſto ſervos nequaquam addere, quam abſoluta ſua poteſtate multos eidem ſubjicere, qui ſuavi ſervitutis ſuæ jugo aſſenſi non fuerint. Qua autem in re vis, & efficacia gratiæ conſiſtat, meum non eſt hoc in loco ſtatuere. Nemo adeo rudis, atque illiteratus eſt, qui non noverit magnete ferrum attrahi; at nullum inveneris Philoſophum, qui tibi aperiat, ubi magnetica virtus conſiſtat, quæ profecto inter naturæ miracula recenſenda videtur. Hoc ipſum de gratia dicere poſſumus; nemo virtutem illius non admiratur; quotidie domat animos, quos ſibi rebelles nanciſcitur, illoſque, licet ferreos, attrahit: eos de ipſa terra, in qua omne ſuum bonum, ac felicitatem ſtatuerant, revellit, ac poſtquam diutius aberraverunt, feliciſſimo eventu reducit ad Deum. At affirmare, quænam in re magna hæc virtus conſiſtat, non auſim; ſed Evangelio innixus dicam ſolum vim ejus ab ipſius ſuavitate pendere, & ſuavitatem illius omnem ejuſdem vim conſtituere. *Auctor Sermonum Chriſtianorum, Sermone de mirabilibus gratiæ effectibus.*

Si gratiæ non aſſentimur, fulguris inſtar evaneſcit.

Dei gratię, Sanctus Gregorius inquit, tamquam fulgura conſiderandæ ſunt. Fulgur momento evaneſcit, & ſæpe latet, unde venerit, & quonam abierit. Hoc ipſum accidit gratiæ. Spiritus Sanctus, ubi vult, ſpirat; venit, & tranſit, quin pateat quonam receſſerit; & ſi illam effugis, fortaſſe iterum non eſt reditura. At hoc nondum ſatis eſt. Noſti fulgur eſſe prænuncium tonitru, & ubi illud affulſerit, indicium eſſe fore, ut alterum mox perrumpere audiatur. Gratiæ, quas Deus nobis largitur, illuminant, percellunt, efficiuntque, ut noſmet reſpiciamus; verum ſimul admonent futurum, ut, niſi ipſis fuerimus cooperati, deſinant in tonitrua, ac pariant fulmina, quibus obruamur. *Idem.*

Quam pretioſa ſit gratia, & quanti facienda.

Gratiarum minima omnibus bonis, omnibuſque mundi voluptatibus præſtat: ſi hæc omnia ſimul hinc, inde vero gratia appendatur, hæc profecto præponderabit. Attamen nos quotidie turpem illi voluptatem, ſordidumque lucellum præferimus. O indignum contemptum! Tanti illa valet, quanti Dei ſanguis; o inæſtimabile pretium! Opus fuit illum vitam effundere, ut eam mereretur. Cum igitur abutimur gratia, Jeſu Chriſti ſanguinem conculcamus; o infandum ſcelus! Mortis illius fructum non ſolum inutilem, verum etiam nobis funeſtum efficimus; & efficaciſſimum noſtræ ſalutis inſtrumentum in uſitatam noſtræ reprobationis cauſam convertimus; o graviſſimam cæcitatem! Si vox ſanguinis Jeſu Chriſti me damnat, quis juſtificare me poterit? *P. Nepueu Tomo 1. Conſiderationum Chriſtianarum.*

Mala, quæ gratiæ abuſus parit.

Cum ad ſecretas conſcientiæ noſtræ redargutiones obſurdeſcimus, cum ſalutares hoſce ſtimulos obtundimus, cum oculos claudimus luminibus, quę Deus ſuggerit nobis, & eas, quæ nos urgent, inſpirationes negligimus, cogitamuſne nos eſſe rebelles gratiæ, nos illam contemnere, nos Dei ipſius Filium contumelia laceſſere? Reputamuſne ejus peccati, quod hac ratione patramus, effecta, pericula, & mala, quibus noſmetipſos ſubjicimus? An tunc ad illa animum advertere expectamus, cum malum nullam pati poterit medicinam? Damnati in inferno gratiæ pretium intelligunt; & quod eadem abuſi ſunt, æternis lacrymis ſuam deflebunt inſaniam, atque nefarium illius abuſum, nequicquam certe, ſed æternum tamen reparare deſiderabunt. Gratiæ abuſus eorum fuit ſcelus in tempore; ejuſdem abuſus ſera nimis pœnitentia, hujuſque gratiæ privatio, & inutile deſiderium eorum pœnam in æternitate conſtituent. *Idem.*

Fidelitas Dei gratiis adhibenda.

Gratia vox eſt Dei nos vocantis; quo affectu, qua docilitate illam audire nos decet? Hac ille nos viſitat; qua reverentia, & humilitate illam debemus excipere? Per hanc ille nos quærit; quibus grati animi ſenſibus eidem reſpondere fas eſt? Sed ſi loquentem audire dedignati fuerimus, quam illi afferemus injuriam? Niſi nos viſitantem voluerimus excipere, ſi quærentem eludere fuerimus conati, quænam erit inſolentia noſtra, quænam ingratitudo? Hoc tamen ipſum nos facimus, quotieſcumque noſmet gratiæ infideles probamus? Quomodo ille contemptum noſtrum ulciſcetur? Niſi illum audire voluerimus, ſilebit; ſilentium nobis gravius ipſa perſecutione. Si illum abjecerimus, ille fugiet a nobis; fuga ſuppliciis quibuſcumque crudelior. Ne ceſſes loqui, Domine; ſervus enim tuus attentis auribus adſtat: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Ne me inquirendo fatigeris; tandem enim ſentio gratiam tuam cordi meo dominari, ac ex animo ex ſcelerum meorum ſordibus ad te cupio reverti. *P. Nepueu. Tomo primo Conſiderationum Chriſtianorum.*

1. Reg. 3.

Fideles eſſe Dei gratiis intereſt noſtra.

Gratia eſt omnium meritorum noſtrorum principium, virtutum omnium origo, & ſemen æternæ felicitatis. Si gratiæ fidelis extitero, nulla ſunt merita, quæ coacervare non poſſim, nullæ virtutes, quas acquirere nequeam, nulla æternæ beatitudinis meæ certitudo, quam mihi polliceri minime valeam. Sed gratiam contemnere idem eſt, ac contemnere, vel deſerere virtutem; gratię infidelem eſſe idem eſt, ac ſibimet unicam rationem auferre immenſos meritorum congerendi theſauros; gratiæ reſiſtere idem eſt ac ſpem beatitudinis æternę abdicare. Heu! Si virtutem reliquero, ſi curam neglexero merita coacervandi in iis occaſio-

caſionibus, quæ mihi frequentes occurrunt, ſi æternæ felicitatis meæ ſpem, cujus quidem gratia mihi certum pignus erat, abjecero, quid eſſe poſſum, niſi impius, miſer, damnatus? Omnia bona ad me veniunt cum gratia; a me omnia hæc recedente recedunt. *Idem*.

Sine gratia nihil facere poſſumus, quod cœlum mereatur.

Sine me nihil boni poteſtis facere, Dei Filius inquit. Qui dicit nihil, excludit omnia. Sine illo nihil facere poſſumus, niſi peccare, ac in interitum ruere. Bonam alere cogitationem, parum eſt; attamen ne minimum quidem boni ex nobiſmetipſis poſſumus cogitare. Quid facilius quam nomen Jeſu proferre? Attamen ſine Spiritus Sancti motu illud cum fructu proferre non poſſumus; immo neque noſtram miſeriam, atque impotentiam cognoſcere poſſumus, neque votum concipere ab eadem liberandi, neque hoc, uti opus eſt, precibus exorare, niſi Spiritus Sanctus hoc nos docuerit, multo vero minus vehementiori tentationi reſiſtere, multo minus vivæ fidei, ſinceræ, ardentiſque charitatis, profundæ humilitatis actus elicere, multo minus has ipſas virtutes acquirere. *Idem, Tomo ſecundo*.

De menſura gratiarum cuilibet deſtinatarum.

Propoſita eſt quædam gratiarum menſura, earum vero præſertim, quæ validæ, potenteſque ſunt, quæ cum ſemel fuerit exhauſta, nullæ amplius ſperandæ ſuperſunt, Deus, Apoſtolus inquit, nobis contulit gratias ſecundum menſuram a Jeſu Chriſto conſtitutam. Deus infinite ſapiens omnia in pondere, & menſura operatur. Si ne unum quidem ex arboribus decidit folium, niſi divina Providentia annuente, an putemus, gratiarum ſuarum diſtributionem eſſe fortuitam? Quædam eſt peccatorum menſura. Licet ad iracundiam maxime provocatus eſſet Deus contra Sodomorum habitatores, teſtatur tamen, ſe nondum in illos animadvertere poſſe, quia menſura ſcelerum eorumdem nondum fuerat expleta. Damaſcenæ urbi ſe tria condonaturum crimina pollicetur, ſed profitetur futurum ut quartum ſcelus & iniquitatibus illius menſuram, & ſuis miſerationibus terminum ſtatuat. Quædam eſt peccatorum menſura, eadem & gratiarum; altera non expletur, niſi exhauriatur altera. Illam iræ theſaurum (funeſtum ſane theſaurum), hanc theſaurum miſericordiæ Sanctus Paulus appellat. Alter oppletus eſt, cum alter inanis. At, chariſſime lector, cum toties Dei gratia fueris abuſus, timor non inceſſit tibi menſuram tuam jam exhauſtam fuiſſe? non metuis, eam, quam modo contemnis, fortaſſe noviſſimam eſſe? Hæc gratiarum menſura non eſt omnibus par, aliis quidem major eſt, minor aliis &c. *Idem*.

Deus nos ſua illuminat gratia. *Act.* 9.

Nonnumquam gratiæ lumen fulguris inſtar pertranſit, verum nihilominus inſignes effectus producit: tale fuit lumen, quod Sancto Paulo circumundique affulſit: *Circumfulſit eum lux*. Nonnumquam conſtantius eſt; tale fuit illud, quod Magis apparuit, eoſque ad Jeſum Chriſtum deduxit. Nonnumquam Deus ipſe ſolus, & immediate hoc lumen producit, quin alio utatur objecto tunc etiam, cum minus exiſtimatur; *Spiritus ubi vult ſpirat*, Salvator ait; (*Joan.* 3.) nonnumquam per occaſionem boni exempli, concionis alicujus, funeſti caſus, qui contigit alicui, ſalutaris tribulationis, quam Deus immittit, affulget. Quoties hujuſmodi recepiſti gratias? & quoties illas vel contempſiſti, vel neglexiſti? Quoties te gratiæ lumen excitat, ac urget? quoties tu eidem reſiſtis? Lumen hoc vulgo petentibus datur, neque nobis daretur, niſi illud peteremus; ſed illius petendi gratia numquam nobis negatur. Deus hoc nonnumquam etiam non petentibus, immo fugientibus illud concedit. Etenim ſi hoc lumen non nos quæſiviſſet non inquirentes, immo fugientes illud, umquam ne, o Domine, ad te redire cogitaſſemus? Lumen iſtud nobis aliquando recentes detegit veritates; cujus generis ea eſt, quæ inſignes peccatores convertit, qui ideo tantum nequam fuerant, quia in ſumma earum veritatum, quæ ad ſalutem pertinent, vixerant ignorantia. Nonnumquam etiam has ipſas veritates majorem profert in lucem, quæ potiorem illis vim tribuit, itaut convertere poſſint hominem, qui eas quidem cognoverat, ſed meditatus non fuerat. *P. Nepueu Tomo* 4.

Gratia efficit, ut æterna bona magna videantur, terrena vero exigua.

Gratiæ lumen alia quidem objecta in mentibus noſtris amplificat, imminuit alia; Deum quidem, & quidquid pertinet ad Deum, cœleſtia, æternaque amplificat bona; efficit, ut hæc omnia magna nobis videantur, immo ut nihil præter ea magnum videatur; e contra vero efficit, ut in exiſtimatione noſtra mundus, mundique bona, voluptates, honoreſque decreſcant; efficit, ut hæc omnia exigua nobis, & contemptibilia videantur. Quidquid in terris pretioſiſſimum eſt, homini hoc lumine illuſtrato nihil eſt. Si mundi honores, opeſque oculos noſtros perſtringunt, & faſcinant, hoc accidit, quia hoc nobis lumen minime affulget. Verum non affulget nobis quod ſeſe non obtulerit nobis, ſed quod oculos clauſimus, ne hoc lumine illuſtraremur. *Idem*.

De ſubtractione gratiæ.

Gratiæ ſubtractio vulgariſſima pœna eſt, qua Deus gratiæ contemptum, & abuſum punit. Auditur nonnumquam querela de patientia Dei impios tandiu, ac impune ferentis. Heu! ſecreto ille ultionem exercet, quæ quia minus inſignis eſt, non ideo eſt minus funeſta; namque amovet a peccatoribus lumina, quibus rebelles fuere, eoſque fatali percutit cæcitate. Quam communis inter ipſos etiam Fideles hæc pœna eſt! Et profecto, niſi eorum plerique cæci eſſent, viderenturne in tanta Dei oblivione, tantaque ſalutis ſuæ ignorantia verſari, parum adeo vereri divinorum judiciorum ſeveritatem, ne minimum quidem laborare, ut illam prævertant, quotidie pro fluxa, fragilique voluptate, pro turpi quæſtu ſe, uti faciunt, in periculum adducere æternæ calamitatis ſubeundæ, de illis gloriari, atque ea ſibi præclare ceſſiſſe, oſtentare, quibus æterna ſupplicia deſtinat Deus, denique annos integros ſumma cum animi tranquillitate iis in ſceleribus volutari, quæ illos divinæ indignationis, graviſſimarumque ultionum efficiunt objecta, & propter quæ certo ſciunt, ſe æternis ignibus adjudicandos, ſi eo in ſtatu aliquid ſibi humanitus contigerit? cum ſibi promittere minime poſſint, ſe eo, qui ipſis ſoſpitibus illuxit, die non morituros. *Idem*.

Gratiæ aliis cohærent gratiis.

Salutis noſtræ negotium catenæ ſimile eſt, in cujus œconomia plus gratiæ quaſi quidam annuli inferuntur, quorum ſi primus ceciderit, reliqui corruunt: ſi primæ gratiæ infidelis extiteris, altera, quæ ab illa pendebat, tibi negabitur. Sed quo pacto hæc dignoſci gratia poteſt, quam aliæ conſequuntur, ab altera, quæ ſola eſt? nimis infirma ſunt lumina noſtra, ut hoc myſterium deprehendant, ideoque nobiſmetipſis jugiter invigilare debemus. Aſceticus aliquis liber in manus noſtras devenit; illum attente legamus: fortaſſe huic lecturę converſionem noſtram Deo adnectere placuit. Pauper nobis fit obviam, ac interiori noſmet actos motu cognoſcimus, ut illius egeſtatem ſolemur; gratia tunc nos alloquitur, & ad eleemoſynam erogandam impellit, ex qua fortaſſe ſalus noſtra dependet: *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis*, Tertullianus ait. Ne tibi hanc elabi ſinas occaſionem; attentus eſto, ubi te alloquitur Deus; ſi enim neglexeris, evaneſcet gratia, numquam ultra fortaſſe reditura. *Auctor Actionum Chriſtianarum, Tomo* 3.

Gratiæ vis, & poteſtas.

Verum eſt, Domine; omnipotens eſt gratia tua, & novit de obduratiſſimis cordibus referre victoriam, quin illorum officiat libertati; una hęc omnibus cogitationibus, omnibuſque luminibus præſtat. Momento illuminat, fallacia diſſipat præjudicia, detegit nihilum, & inane rerum earum, quę a te ſeparatę ſunt; animat, roborat, &, cum abſolute vocat, atque ſollicitat, quis illi reſiſtere poteſt? Nonne univerſorum es Dominus? Nonne omnia ita diſponere noſti, ut homines ſuavi trahantur vi, & divinis voluntatibus aſſentiri teneantur? Non deſunt Pauli, & Auguſtini, vaſa videlicet electionis, quos omnipotens dextera tua de vitiorum ſordibus eruat, ut eos Eccleſię tuę columnas efficiat; verum hęc ſunt miſericordię miracula æque rara, ac admiranda. *Ex Manuſcripto Sermone P. Stephani Chamillard*.

Gratiarum translatio, & ſubſtitutio. *Act.* 13.

Judæis olim dixerunt Apoſtoli, ſe debere quidem illis ante cęteros Dei verbum annuntiare, ſed, quod ita erant infideles, ut illud rejicerent, ſe Nationibus Evangelii lucem allaturos, qui reverenter eam recepiſſent. *Ecce convertimur ad gentes*. Mira immutatio in ordine gratię! Fidelis hic populus in populum reprobatum convertitur; qui antea illuminati erant, mendacio decepti ſunt, & in ſuę incredulitatis pœnam, ſecum gerunt reprobationis caracterem ex ſua cęcitate profectum; atque mortalium omnium oculis propoſiti ſunt tamquam perenne miraculum obdurationis cordis humani, juſtęque ultionis Dei, qui ſecreto ſuę Providentię conſilio gentium ſalutem ſuper Judęorum interitum extruit, efficitque, Apoſtolus ait, ut po-

puli,

puli, quorum mores, cultuſque jampridem erant corrupti, locum obtineant populi Dei veri cultoris. *Ex Manuſcripto Sermone*.

Suavitas quæ ex ſolo gratiæ nomine percipitur.

Sanctus Auguſtinus olim de pace loquens, illud magnum, & excellens bonum eſſe dicebat, ut ſolum ipſius nomen ita amabile, ut nihil in terris ſuavius accidere poſſet, illi videretur. Hoc ipſum profecto dici poteſt de gratia, cujus tanta ſuavitas eſt, & illecebra, ut ipſi nomini neſcio quæ ſuavitas inſit, propter quam nonniſi cum voluptate poteſt audiri; & certus ſum vobis hoc gratiæ nomen audientibus, ſtatim mentem veſtram admirabili quadam dulcedine perfundi; quemadmodum reipſa gratia in ſe complectitur quidquid in bonitate melius eſt, lenius in miſericordia, indulgentius in charitate, officioſius, atque acceptius in liberalitate. Ut ergo dicam, quid proprie ſit gratia; vox hæc favorem ſonat, ideoque in Scripturis ſæpe, gratiam apud aliquem invenire, repereris pro illius favorem ſibi conciliare. Verumtamen meminiſſe opus eſt, gratiam gratuitum favorem ſignificare, non eum, quem meriti fuerimus, non eum, qui recipientis dignitati, ſed ſoli communicantis illud benevolentiæ innititur. *Auctor Anonymus*.

Nihil ſine Dei gratia facere poſſumus.

Quemadmodum David poſt relatam ſingularis certaminis palmam gladium Goliath in Tabernaculo poſuit, cum ut Deo victorię ſuę honorem deferret, tum ut teſtaretur, non virtuti ſuæ, vel rei militaris ſcientię, ſed Dei exercituum auxilio tantam laudem deberi; ita nos quoque eidem referre debemus acceptum quidquid nobis evenit ex ſententia, eique humilibus gratiarum actionibus juſtum, legitimumque tributum perſolvere. Quoniam ab illo virtus omnis noſtra proficiſcitur, non ex natura noſtra, ſed ex gratia illius eam obtinemus, opus eſt, ut gloriam omnem admirabili huic bonorum omnium auctori deferamus. *Idem*.

Fallax prætextus, gratiam nobis deeſſe.

Poteſtne peccator pro rebellionis ſuæ cauſa prætexere, ſibi defuiſſe gratiam, ut Domini mandatis obſequeretur; cum ille chriſtianus ſit, cujus totum vitæ ſpatium, nativitas, inſtitutio, fortuna, proſpera, adverſa omnia, morbi, mors denique ipſa totidem peculiares Dei gratiæ fuerunt? Defueruntne illi conſilia, exempla, Sacramenta, quæ ſunt gratiæ exteriores? Defuerunt lumina, afflatus, ſcrupuli, ſtimuli, qui gratiæ ſunt interiores? Ille gratiam præſtolabatur, & urgebatur a gratia: deerant, inquit, ipſi lumina; ipſe vero lumini claudebat oculos; volebat, ait, & converti non poterat; ſed prorſus oppoſitum erat; poterat, & nolebat, & propter voluntatis pertinaciam gratia, & potentia illi erant inutiles. Eheu! Si Tyrus, & Sidon, ſi Hæreticus, & Schiſmaticus, Idolorum cultor, & barbarus eadem habuiſſent ſubſidia, næ illi in ſacco, & cinere ſua expiaſſent delicta; tu vero queri audes, gratiam tibi defuiſſe? *Sermo Manuſcriptus*.

In quo hæc gratiæ vis, & ſuavitas conſiſtat.

Verum in quonam hæc gratiæ ſuavitas, ac fortitudo conſiſtit? In hoc; ad veſtram conſolationem audite. In occaſionibus Deus peccatoris ſcrutatur ingenium, ſtudiis ejuſdem ſe accommodat, ejuſque affectibus, praviſque habitibus utitur. Expectat commoda fandi tempora; omnes induit perſonas (abſit verbo invidia) ut illum lucretur, & ex ea parte capiat, quæ minorem illi eſt dolorem allatura. Ita eſt: a ſalutis via procul aberraſtis, ad interitum, veſtramque damnationem ruitis? Dominus ſe eouſque dimittit, ut ad ſe vos reducere juxta naturale ſtudium, indolemque veſtram dignetur. Cognoſcit ille te cupidum eſſe hominem, divitiis deditum, auro, argentoque congerendo intentum? Hinc quidem, ſi ſanctus eris, tibi incorruptibiles in cœleſti Jeruſalem pollicetur opes; theſauros tibi ſpondet in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur; inde vero ſi in peccato morieris, graviſſimam tibi minitatur egeſtatem, omnimodam bonorum quorumcumque carentiam, quæ damnatum manet, ſtatim ac præceps lapſus fueris in Infernum. Dicam melius; tibi oſtendit fragilitatem, ac nihilum terrenorum bonorum, quæ momento dumtaxat poſſidentur, & quæ morientes tenentur relinquere. (*Luc.* 12.) *Hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Cognoſcit ille te ambitioſum eſſe, gloriæ cupidum, laudum, honorumque appetentem? Numquam bonum librum evolves, nullam concionem audies, ubi de Prædeſtinatorum gloria, & dignitate ſermo non accidat. Te timidum, & in re qualibet trepidantem cognoſcit? Mens tua, te etiam invito, repleta eſt teterrimis Inferni imaginibus, ignis devorantis, vermis depaſcentis, horribilium ſpectrorum, atque, ut omnia verbo complectar, ſuppliciorum omnium exquiſitiſſimorum, atque inauditorum. In infinitum excurreret oratio mea, ſi vellem hic ſingillatim eos enumerare modos, quibus ſeſe tibi accommodat gratia; tuum eſt videre quomodo clementiſſimus hic Deus ſe tuo aptet ingenio, ut te revocet ad pœnitentiam. *P. Stephanus Chamillard. Sermone Manuſcripto de muliere Samaritana*.

Oportet eſſe vigilantem, atque attentum gratiis Dei.

Non loquamur de eorum infidelitate, qui Dei gratiis abutuntur, eaſque inutiles faciunt; conqueramur potius de illis, qui ad eas recipiendas ſe ne præparant quidem, qui in periculo poſiti non audiendi illas, ne trepidant quidem, ſed mundi rumores diligunt, ne reipſa illas audiant. Cauſidicus, qui ex Judicis ſui verbis captare adnititur, qua ſibi inſiſtendum ſit via, ut victor judicio diſcedat, diligentiſſime omnia illius verba ad examen vocat, omnes illius motus, & geſtus conſiderat... Deus, qui noſter eſt Judex, ex cujus ſuffragio noſtra pendere debet æternitas, nos minime celat, quid facere debeamus, eum delinituri: immo nos ipſe prævertit, quærit occaſiones nos erudiendi; atque noſtra nihil referre videtur, ea, quæ docuerit, excipere. Sexcentis diſtenti curis, quæ omnem mentis occupant attentionem, temporalium negotiorum tumultu obruti gratiæ aures obſtruere affectamus, vel niſi affectamus, ſine ullo metu, ac dolore illas obruimus. Quoniam noſtra agitur ſalus, ſingulis momentis attendamus quid placuerit Deo nobis dicere, ut cum fructu illa operemur. *Liber cui titulus: Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de Morale*.

Deus non ſemper operatur gratiæ miracula pro peccatoribus.

Sæpe nobiſmetipſis blandimur gratiæ virtutem, & efficaciam celebrantes, & non animadvertimus noſtrum vivendi genus eam omnino poſſe delere. Nobis blandimur, inquam; quia licet in Dei poteſtate ſit poſitum de duriſſimis lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, atque lumen ex tenebris elicere; videlicet quamvis gratia ſubitas efficere valeat mutationes, quæ immediate nos a graviſſimis ſceleribus ad altiſſimam evehant ſanctitatem, tamen, communiter loquendo, gratia miracula hujuſmodi non operatur: ſua habet initia, ſuoſque progreſſus, atque tranſitus a vitio ad virtutem tantus eſt, ut momento fieri non poſſit. Ideo temporis cura habenda eſt diligentiſſime, in virtutum exercitatione noſmet confirmare debemus, ac illis tantum temporis concedere, quantum ſatis eſt, ut in nobis jaciant radices. *P. Cheminais, Tomo* 3. *Sermone de vigilantia Chriſtiana*.

Gratia contemptus efficit, ut nos deſerat, & reprobet Deus.

Gratia peccatorem urget, ut convertatur; peccator vero peccatorum ſuorum pœnitentiam agere renuit. Illuminatus eſt, eruditus, invitatus, ſollicitatus, neque vel minæ deſunt, vel pollicitationes; ſed lumina, increpationes, invitationes, ſollicitationes, minas, promiſſiones, omnia vertit in ludibrium. Aſſuetus ſcelerum ſuorum remediis, ea reſpuit; rebellis divinis miſerationibus, has contemnit. Senſus, quibus affici poſſet, nullam habent amplius in ipſo virtutem: divinamque patientiam fatigat. Sciat ergo, ſi perſtiterit gratiæ obluctari, Deum ejuſdem perfidia coactum ſuam ab eo gratiam amoturum, eumque reprobaturum. *Liber, qui inſcribitur: Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de Morale*.

Debemus in pretio habere Dei gratiam, eique cooperari.

Cum Dei gratias recipiamus, eo diligentiorem earum curam gerere debemus, quo magis nobis eſt metuendum, ne, ſi neglexerimus illas, ultra non revertantur. Quid autem hujuſmodi in occaſionibus a nobis expetit Deus? Hoc petit, Sanctus Auguſtinus ait, ut gratiæ ſuę cooperemur; etenim quemadmodum illius miſericordia conatum exerit, ut educat ex theſauris ſuis, qui peccatori poſt illius ingratitudinem clauſi, obſignatique eſſe deberent, ut educat, inquam, inuſitatas has ſuæ benignitatis effuſiones, æquum eſt, ut nobiſmetipſis nos quoque vim adhibeamus, ut reſpondeamus iis, quę ad nos convertendos Deus operatur. Aliquando, Sanctus Auguſtinus inquit, *Deus operatur in nobis ſine nobis*, ſed nonnumquam etiam *operatur in nobis cum nobis*. In nobis ſine nobis operatur metum judiciorum ſuorum, terrores mortis, ac Inferni, conſcientię ſtimulos, rerum creatarum faſtidia; ſed nonniſi cum nobis operatur ſalutares conſiderationes, & opera, quę ſunt veluti fructus fęcundorum ſeminum, quę gratia in animabus ne-

BIBLIOTECA CENTRAL

noſtris effundit. Nos autem ſæpe acquieſcimus iis, quæ Deus facit in nobis, quin aliquid cum ipſo faciamus; credimus bona eſſe conſilia a nobiſmetipſis ſuſcepta ea deſideria, quæ Deus nobis inſpirat; atque converſionis putamus initium id, quod ſæpe noſtram reprobationem adimplet. Quippe ſe a gratia illuſtratum, commotumque ſentire, & in aliquibus perfunctoriis pœnitentiæ ſenſibus, nullum effectum habentibus, ſeſe continere, quin vivendi genus mutetur, quin peccandi relinquatur occaſio, hoc cumulum addit ſcelerum noſtrorum menſuræ, hoc miſericordiæ januas nobis obſtruit, hoc divina Miſericordia indignos nos efficit, qua per ſummum nefas abutimur. *Liber cui titulus: Eſſais de Sermons pour l'Avent.*

Luc. 19.

Nobis reddenda erit ratio, quomodo divinis gratiis uſi fuerimus.

Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut & ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam? Gratia mea eſt theſaurus ille, quem tuæ vigilantiæ credideram: quare illam in quæſtu non collocaſti? *Quare?* Nonne debebas? Numquam audiendo illam attentus, numquam in illa ſequenda fidelis, eam contempſiſti, eam neglexiſti; & putas, me hujus auctorem, non fore juſtum quoque ejuſdem ultorem? Itane ergo tibi profuit hæc gratia, per quam tot miracula operatus ſum? Hiccine eſt fructus illius? Vita tranſacta ubi, & in quo? In otio, mollitie, mentis evagatione, proprii corporis cura, comeſſationibus, ſpectaculis, ludis. *P. Giroust in Adventu Tomo primo.*

Deus eos exprobrat,

Quot gentes (chariſſime Frater) celeriter, & efficaciter fuiſſent reverſi ad Deum, ſi eadem cognoviſſent, eaſdemque gratias habuiſſent, quas tu? Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: ſi enim miraracula, quæ vidiſtis, in Tyro, ac Sidone patrata fuiſſent, jampridem infideles iſtæ civitates pœnitentiam egiſſent. Quid hinc tibi eſt metuendum? Hoc ſane quod in Dei judicio multo majori cum ſeveritate, quam in Tyrios, Sidonioſque, in te animadvertetur: ita mundi Salvator loquebatur. Ego vero Salvatoris innixus ſententiæ dico tibi; Væ ipſi tibi, cor obduratum, cor in medio etiam lumine cæcum, cor omnibus gratiæ afflatibus inflexibile; voluntarium peccati mancipium; væ tibi; nam integræ nationes ſanctificatæ fuiſſent, ſi Providentia aliquam dumtaxat illis præbuiſſet earum gratiarum particulam, quas hactenus quidem habuiſti, habeſque quotidie. Tibi cœlum magis opitulatum eſt, & ſeverius ideo judicaberis. *Idem.*

Quia Dei gratiis abutimur, ideo eas auferet a nobis.

Quædam inſignia tibi contulit beneficia, teque infinitis muneribus cumulavit, nulla adactus cauſa vel gratitudinis, vel æquitatis, vel utilitatis; largitatis ejuſdem præclara accepiſti monumenta; in te uno ſtetit majora recipere, iiſque uſus non es, niſi ut largitori contumeliam inferres. Fuis in te beneficia non profuerunt, niſi ut animi tui ab ejus voluntate eluceret averſio, atque palam fieret tua in ejuſdem cultu negligentia. Si judicare volueris ſecundum eos ſenſus, quos vitæ commercium inſpirat, putabiſne, benefactorem hunc recentibus te jugiter favoribus cumulaturum? an futurum, ut improbitatis tuæ injuſtitiam te ſentire velit, ubi adfuerit occaſio, ea tibi negans bona, quibus hactenus abuſus fuiſti? Quid illius largitatem magis fatigare poteſt, quam indignus, atque contumelioſus favorum ejuſdem contemptus? *Liber, qui inſcribitur: Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de Morale.*

Primis gratiis bene utendum, ut majores mereamur.

Putatis gratiæ nomine eas tantummodo appellandas eſſe, quæ fortes ſunt, electæ, efficaces; reliquæ flocci faciendæ videntur. Perperam ſane judicatis, & longe alios ſenſus concipitis, quam quos de primis Principum virorum favoribus, qui tanta vos lætitia, tantaque afficiunt hilaritate. Nonne ſimiliter primæ Dei gratiæ in pretio habendæ ſunt, quia nos ad majores recipiendas diſponunt? Nonne prima talenta in quæſtu ponenda ſunt, ut longe plura deinde referamus? Hoc intelligebat Jeſus Chriſtus, cum ajebat: *Negotiamini, dum venio.* Nemo ſatis dives eſt, qui mercaturam incipit exercere: ab iis exiguis mercibus initium ducitur, ut mox gradus fiat ad locupletiores. Statim prima ſors eſt exigua, ſed tempore, & cura paulatim augetur. Negotiamini (Fideles) donec veniat Jeſus Chriſtus; primas, quas vobis affert, gratias ad ſpirituales congerendos theſauros impendite: quo magis fideles fueritis illis, eo majores, ac plures nanciſcemini. *Sermo, qui Patris de la Rüe eſſe perhibetur pro feria ſexta poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam.*

Luc. 19.

Jeſus Chriſtus exprobrat civitates Bethſaidæ, & Corozain, eo quod gratias ipſius contempſerunt.

Væ vobis Bethſaida, & Corozain, Jeſus Chriſtus ait, væ vobis; ſi Tyrus, & Sidon ea vidiſſent miracula, quæ in vobis contigerunt, infideles illæ civitates ſcelera ſua expiaſſent in cinere. Gravis profecto exprobratio, quæ ad vos pertinet, Chriſtiani. Hæ civitates extremo divini judicii die in vos ipſos inſurgent. Quot Ethnici, qui non iiſdem, ac vos, gratiis cumulati fuere; quot infelices idololatriæ tenebris involuti, quibus Solis juſtitiæ radii numquam affulſerunt, & in quos ille beneficos influxus ſuos numquam effudit? Eheu! ſi eaſdem gratias obtinuiſſent, fortaſſe iiſdem fideles fuiſſent. Dei Filius dicit etiam aliquid amplius. Si miracula, quæ pro vobis patrata fuere, Tyri, ac Sidone facta fuiſſent, næ illæ pœnitantiam egiſſent; non contempſiſſent, uti vos, gratias meas, eiſque reſpondiſſent. Ninive, ejuſque Rex prædicante Jona pœnitentiam egerunt; Judæi vero non item prædicante Jeſu Chriſto: & vos, qui pluribus quam Ninivitæ, & Judæi gratiis cumulati fuiſtis, pœnitentiam non agitis; aliquidne ulterius requiritur ad ſuperbiam veſtram confundendam, voſque coram Deo accuſandos? Quodnam intercedit diſcrimen Jonam inter, & Jeſum Chriſtum, inter Prophetæ hujus minas, & omnipotentem virtutem Dei? *Et ecce pluſquam Jonas hic.* Quantumvis infimæ hæ fuiſſent gratiæ, potuiſſent tamen Ninivitas ad pœnitentiam compellere; ſatis ergo ſunt, ut vos ipſos ad eamdem impellant, quam niſi egeritis, teſtes erunt contra vos, veſtræque reprobationis fundamentum: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Idem.*

Matth. 12.

Ibidem.

Exprobrat Deus civitatem Jeruſalem, eo quod ſuas gratias contempſerit.

Matth. 23.

Ne vos dignos præbeatis, Auditores chariſſimi, ea exprobratione, qua Jeſus Chriſtus olim civitatem Jeroſolymam increpavit, & quo jure hodierna quoque die tot timidos, inerteſque Fideles poteſt increpare: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti?* Jeruſalem civitas ſemper dilecta, & ſemper ingrata, quoties filios tuos congregare volui ſub alis miſericordiæ meæ, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos; tu tamen quoties *noluiſti? Volui*, cum tibi ſanctas cogitationes immiſi, cum ſalutaria tibi monita præbui, & *noluiſti? Volui*, cum per Evangelii mei præcones te docui, quid facto opus eſſet, & *noluiſti? Volui*, cum tibi ob oculos poſui tot ſubitæ mortis exempla, cum voluptates tuas ea perturbavi amaritudine, quam illis immiſcui, cum tibi amici illius infidelitatem, alterius vero perfidiam oſtendi; *Volui, & noluiſti.* Numquid intererat mea? Quam ex cultu tuo gloriam percipere poteram? quodnam mihi infortunium ingruere, te calamitoſum efficienti? *Volui.* Tu ſolus periculum ſubibas ſalutis tuæ, tu, inquam ſolus, amicitiæ meæ diligentiſſime curam gerere debebas; intererat tua operari mecum ad tuam dumtaxat felicitatem, & *noluiſti. Volui*: hæc erit juſtificatio mea, quamvis nemini factum meum probare tenear; *& noluiſti*; hæc erit damnatio tua. *Idem.*

Quomodo exprobrabit peccatori Deus ſuarum gratiarum abuſum.

Deerant ne tibi, dicet aliquando reprobato peccatori Deus, deerantne tibi monita, conſilia, exhortationes, conciones, exempla, gratiæ exteriores? Deerantne inſpirationes, & ſtimuli, gratiæ interiores? Gratiam meam videlicet expectabas. Proh ſcelus! mea immo te gratia expectabat; quoties ad oſtium tui cordis pulſavi, quin mihi aperires? quoties te vocavi, quin reſponderes? Si Ethnicus, ſi Barbarus hujuſmodi gratias habuiſſet, næ ille quidem fuiſſet converſus; tu quoque igitur converti poteras, & converſus non es; tu noluiſti. Tibi igitur ſoli ſuccenſe, ſi juſtitiæ meæ ſeveritatem experiris. *Idem Sermone pro feria 6. poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Credendum non eſt ſore ut nos Deus ſemper expectet, nobiſque ſuas offerat gratias.

Arbitramur futurum, ut adhuc aliquandiu nos Deus expectet, & fortaſſe bipennis arboris radici illiſa eſt: *Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* Hæc forſitan poſtrema eſt gratiæ ſollicitatio; nunc poſtremum forſitan nos urget Deus, nullum deinceps æque validum ſuppeditaturus auxilium, ut de infelici, in quo verſamur, ſtatu emergamus. Jamdiu nos expectat, admonet, ſollicitat Deus; ſæpe venit, ac ſemper fruſtra, quæſiturus ejus arboris, quam adeo diligenter excoluit, fructus; & jure ob diutinam ſterilitatem iratus intra paucos fortaſſe dies eam in nos prolaturus eſt ſententiam, quam Paterfamilias protulit in ficum: *Succidite ergo illam, ut quid terram occupat?* Quamprimum ſterilis hæc arbor ſuccidatur, & in ignem mittatur; cui bono tandiu terram, ubi arbor alia optimos ferret fructus, occupare permittimus? Propter adeo terribilem ſententiam tot homines, qui bene

Luc. 13.

BIBLIOTECA CENTRAL

bene adeo incæperant, & mox gratiæ infideles fuere, in extremum exitium lapſi ſunt; atque tot alii, qui adeo bene vocati fuerant, non obtinuerunt perſeverantiæ donum, atque cum loco coronam quoque ſuam iis reliquerunt, qui ex eorum calamitate quæſtum facere didicerunt. Nihilne tale nobis metuendum eſt poſt ea, quæ hactenus fecit Deus, ut vitæ rationem immutaremus? *P. Croiſet in Receſſibus Spiritualibus.*

Dolor, quod gratiæ fideles non fuimus, & propoſitum illi in poſterum ſervandi fidem.

Heu Domine! ne intres in judicium cum ſervo tuo; fateor me hactenus fuiſſe arborem non ſterilem ſolum, fructibuſque vacuam, verum etiam corruptam, quæ nequicquam in uberrimo ſolo obtinuit locum, & quæ proinde nulli eſt utilis rei, niſi ut mittatur in ignem. Verum, Domine, patientiam habe, & ſpero, me ope gratiæ tuæ, ita bene uſurum eo tempore, quod mihi tua conceſſerit bonitas, ut non ultra curas tuas inutiles reddam. Audeo quoque ſperare, te mihi nequaquam inſpiraturum fuiſſe mentem hinc implorandi miſericordiam tuam, niſi mihi certa eſſet voluntas reparandi malum, quod tot auxiliis tuis abutens operatus ſum. Verum niſi recenti hac gratia tua bene uſus fuero, tu fortaſſe in me laturus es terribile illud judicium, a quo mea pendet æternitas. Hoc quidem pluribus de cauſis mihi metuendum eſt; ſed in tua confidens miſericordia ſpero, mihi omnipotentem gratiæ tuæ opem non defuturam, eaque ita bene uti propono, ut fatalem ſententiam effugiam, quam omnibus eadem abutentibus minitaris. *Idem.*

Quomodo exprobrat Deus peccatoribus ſuarum gratiarum repulſam.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Quoties miſericors Deus vos ſub alas ſuas ſtuduit congregare: *Quoties volui?* Et quoties tu recuſaſti; *& noluiſti?* Teſtes invoco veſtras conſcientias. Hoc voluit clementiſſimus Deus tot gratiis, quibus vos prævenit, tot bonis cogitationibus, quas vobis immiſit, tot optimis exemplis, quæ vobis oſtendit, tot verbis veritatis, & vitæ, quæ protulit vobis: *Quoties volui?* Vos autem quoties hujuſmodi gratiis rebelles, quoties inſpirationibus, exemplisque inflexibiles, quoties his vocibus ſurdi noluiſtis; *& noluiſti?* Quoties ipſe voluit tot interioribus exprobrationibus, quibus increpuit, tot acerrimis ſtimulis, quibus conſcientias veſtras nimis tranquillas agitavit, tot ſalutaribus amaritudinibus, quas voluptatibus veſtris immiſcuit, tot ingratorum amicorum infidelitatibus, quarum victimæ fuiſtis: *Quoties volui?* Nihilominus quoties his exprobrationibus, ſtimuliſque voſmet induraſtis, quoties his amaritudinibus, & infidelitatibus aſſueti hujuſmodi gratiis reſtitiſtis? *Dictionarium morale. Sermone primo de Indulgentiis.*

Gratia nos ſuaviter attrahit, quin cogat voluntatem.

Gratia, Sanctus Auguſtinus ait, ſancta ſuavitas eſt, quæ nos attrahit, & movet, ſed in electionis libertate relinquit: *Non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio.* Semper per voluptatem ſe Deus inſinuat in animam; ſed voluptas hæc non eſt inevitabilis, & ea, quam nobis offert, illecebra non eſt tyrannis, quam velit in corda noſtra exercere: *Qui trahuntur, ita veniunt, ut ſi vellent, venire non poſſent.* Igitur non dicam ultra, ut animos deſpondeam, ſi ad Deum minime venio, ipſe me benedictionibus ſuavitatis ſuæ non prævertit, quæ neceſſariam efficiunt impreſſionem in corda eorum, quos ſibi ſubjicere cupit Deus. Ejus mihi offertur gratia, præſertim vero in periculoſiſſimis occaſionibus; ac ipſa me docet experientia, me nimis eadem abuſum fuiſſe. *Ibidem.*

Frigus, quod Deus in peccatoribus parit, oritur ex gratiarum ejus repulſa.

Vulgatius ſupplicium, quo Deus in illos animadvertit, qui ipſius gratiis abutuntur, hoc eſt, quod peccatorem neque vocat, neque vocantem amplius exaudit; & cor Dei, ut Sanctus Auguſtinus ait, in illa Prophetica verba, *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit*, erga peccatorem frigidum eſt, & quaſi glacie concretum. Hoc autem in Deo frigus, hæc in ipſius corde glacies efficit, ut peccatorem non vocet amplius, ejuſque ſenſus craſſos, condenſoſque, animam vero undique concluſam relinquat. Hæc ſunt Sancti Auguſtini verba: *Frigus Dei, quando non aperit ſenſum.* Dei vox illuc non ingreditur amplius, & hæc res cauſa eſt, propter quam Deus illum ultra non vocat; & hanc rationem adferunt Theologi, quemdam adeſſe ordinem, atque nexum inter divinarum gratiarum diſtributionem, itaut, qui primæ fuerit infidelis, aliarum privatione percuti mereatur. Non audis amplius Deum ad cordis oſtium pulſantem; hæc tua erit pœna, quod ipſe te non ultra vocabit. *Ex delectorum Sermonum Collectione. Sermo de Surditate.*

Pſal. 147.

Deus ſuas negat gratias negligentibus illas.

Tali in occaſione gratiam negligis, te eidem attentum non præbes, illam evaneſcere ſinis; fortaſſe ex hoc momento, ex hac occaſione, inſpiratione gratia pendet, utrum ſis a Deo deſerendus. Hæc peccatori calamitas ingruit; Deus illum non vocat ultra; ab eo tandem recedit, quemadmodum per Prophetam minitatus eſt: *Aures ſuas aggravaverunt ne audirent; ſic clamabunt, & ego non exaudiam.* Ita ſupremus hic Judex peccatoribus minitatur; hæc ejus eſt ultio. Obſurduerunt, inquit, voci meæ; cor ipſum adamante durius effecerunt, ne me audirent; verum ipſi quoque viciſſim clamabunt opem imploraturi, atque ego quoque tunc aures obſtruam, me illis, ut illi ſe mihi, ſurdum præbebo, & non exaudiam. *Clamabunt, & ego non exaudiam.* O Rex infelix! O calamitoſiſſime Saul! hæc tua ſors eſt, hæc pœna tua, ingemiſcis, ploras, deprecaris; Samuel quoque preces effundit, pro te laborat: ſed tuas, & ejus lacrymas, ſuſpiria, preces non audit Deus. Cur hoc? quia antehac ipſe non audiſti illum, atque divinæ voci illius aures obſtruxiſti. *Quare non audiſti vocem Domini?* Hæc eſt cauſa, propter quam te repellit, atque contemnit. Neglexiſti quæ ille tibi dixit; ipſe quoque negliget quidquid illi dicere poteris; orabis, non exorabitur; clamantem audiet, non exaudiet, tu vero in graviſſimam omnium calamitatem decides. *Idem.*

Zach. 7.

1. Reg. c. 15.

Dei miſericordia fatigatur illis gratias largiendo, qui iiſdem abutuntur.

Certum eſt, Dei Miſericordiam exhauriri nonnumquam in earum diſtributione gratiarum, quas conferre decrevit, propterea quod a peccatoribus rejiciuntur, & contemnuntur, & ex hoc tamquam exhauſto fonte ultra non fluere, niſi ad ſummum rivulos aliquot, & gratias admodum tenues. Ratio vero, quam Theologi afferunt, ipſas etiam maxime inflexibiles animas, ſi quid in illis reliquum fidei ſupereſt, perterrefacere debet. Liquet, notæ melioris Doctores inquiunt, liquet omnes Dei perfectiones in ſe quidem eſſe infinitas, finitas tamen, ac limitibus ſuis circumſcriptas in communicationibus, & effectibus ſuis. Exempli gratia, infinitus eſt Deus in extenſione potentiæ ſuæ; verumtamen ea omnia, quæ creavit, finita ſunt. Hoc ipſum de illius bonitate, & miſericordia dicendum eſt: hæc quidem in ſe ipſa eſt infinita; finiti nihilominus ſunt miſericordiæ hujus effectus, & gratiæ, quas peccatoribus elargitur, ſuos terminos habent. *Idem Sermone de Recidiva.*

Multitudo particularium gratiarum, quibus a Deo ſumus cumulati.

Quid dicam de ſanctis lectionibus, quæ caſu quidem, ſed opportune adeo accidiſſe videntur? Quid de felicibus occurſibus, inopinatis quidem, ſed adeo aptis iis conſiliis, quæ de nobis convertendis fovebat Deus? Quid de parvis, ut ita dicam, miraculis, quæ in noſtrum commodum evenerunt? Cœlitus demiſſa inſpiratio, conſideratio tempore, & loco inſtituta, bonum verbum auditum ſæpe converſionis perfectæ cauſa fuerunt. Sin autem nobis præclara ea contigit ſors, ut divino cultui devoveremur, mente repetamus ſingula, quæ in vocatione noſtra acciderunt, omnes illius circumſtantias ad examen revocemus, & admiremur qua ſapientia, qua cura omnia ad ſalutem noſtram Deus diſpoſuerit: opus fuiſſe, ut eo tempore, eoque in loco, cumque iis perſonis adeſſemus; mundi voluptates, nullas in nobis illecebras habuiſſe tunc temporis, ubi per ætatem eas magis deperire debere videbamur; ſexcentis mundi hujus fraudibus nos capi non potuiſſe; ipſum conſaguineorum amorem ſatis virium non habuiſſe, ut nos ab incœpto dimoveret; malorum exemplorum torrente rapi nos nequiviſſe; ejus vitæ auſteritatem, cui nihil non aſperum, ac injucundum inerat, nos nequaquam deterruiſſe; nobis tantum adfuiſſe virtutis, ut validiſſimos quoſcumque obices infringeremus. . . . . At undenam in nobis orti ſunt adeo boni ſenſus eo tempore, quo illos minime merebamur? Cur inter tot, quorum ſinguli melius Deo fuiſſent famulati, ego electus, non illi? . . . Beneficiis adeo ſingularibus adde tot ſanctas inſpirationes, tot pia deſideria, aliæque hujuſmodi gratiæ, quibus nos Deus quotidie prævertit. Hi conſcientiæ ſtimuli, hæ ſecretæ ſollicitudines, hæ turbæ interiores, quibus ille utitur, ut nos in ſanctitate vitæ requiem veram inquiramus, hi totidem ſunt divinæ effectus miſericordiæ, *P. Croiſet Tomo 1. Receſſuum.*

Oportet eſſe dociles gratiæ,

Proh Domine! quanti refert ſeſe dociles præbere gratiæ, & alacres ad inſpirationes tuas amplectendas! Quot vocati vocem tuam non audiunt? quot in mandatis tuis capeſſendis parum ſeduli ſunt?

Tu-

Tumultus obſtupefacit, vita mollis reddit inertes, negotiorum, difficultatum, ætatis, ſtatus, qualitatis prætextus faciunt, ut, quæ cito facienda ſunt, differantur; & hac procraſtinatione optima quæque deſideria evaneſcunt. Opus eſt vigilantes nos eſſe, atque cœleſtibus vocibus audiendis attentos; verum præterea opus eſt ſeſe illis dociles præbere, ne inutiles fiant. *Idem*.

Impii gratiæ motus inania vocant terriculamenta. Hæc impii in jocum plerumque traducunt; & ſalutares cogitationes judiciorum Dei, atque æternitatis, nec non pretioſiſſimi gratiæ motus inania terriculamenta vocantur. Quomodo per contemptum improbi viri has cogitationes explodunt, atque irrident tamquam importunas cogitationes, quibus voluptates ſuæ perturbantur, iique excitantur ſtimuli, qui eos mœrore conficiunt? Verum enim vero ſi hujuſmodi cogitationes veræ ſunt; ſi conſiderationes ſolidæ; ſi hæc vera ſunt, & noſtræ religionis oracula, quæ nullo modo poſſunt eludi, quid de illis extremo judicii die futurum exiſtimabimus, qui illa aſpernantur, rejiciunt, repellunt? *Idem in Spiritualibus Conſiderationibus*.

Deus gratiis ſuis non ſemper æqualiter loquitur. Deus non ſemper eadem vi hominibus loquitur, & plerumque ſilet, ubi, cum in maximi momenti occaſionibus locutus fuiſſet, verbum illius eo, quem habere debebat, caruit effectu. Dei tempora diligentius, quam exiſtimatur, conſideranda ſunt, & præcipuum Fidelis ſtudium eſt, ſedulam momentorum ejus curam habere. *Abbas Trappenſis Chriſtianarum Inſtitutionum Tomo ſecundo*.

Quomodo Salvator ſuam gratiam ſtatui, & conditioni Samaritanæ accommodavit. Dei Filius cum Samaritana loquens gratiam ſuam primum ſtudiis animi ejuſdem, mox vero ſtatui præſenti, atque conditioni ejus accommodavit. O admirabile Divinæ Sapientiæ adinventum, dare, & aptare gratias illis, quos convertere cupit, atque ſeſe accommodare ſub nominibus, temporibus, iiſdemque conformibus conditioni, ac ſtudiis, quæ præſens, in quo ſunt, ſtatus tribuit illis, ut hac ratione efficacius, ſuavius, atque incomprehenſibilius ad agendum impellat! Vocare vult Reges Magos; eorum vocationem adnectit ſtellæ, & hanc eligit viam tamquam omnium aptiſſimam, tutiſſimamque, quandoquidem illi ſyderibus cognoſcendis operam impendebant. Vocat Apoſtolos, qui piſcatores erant: illis vocationis gratiam impertit iis uſus vocibus, quę ad artem eorum ſpectabant, dicens ſe eos facturum piſcatores hominum. Semet eorum ſtatui accommodat, & vitę generi, quod profitebantur, objectum tantummodo immutans. Ita cum Samaritana etiam agit, illius erudiendæ occaſionem nactus ex munere, quod exercebat, & cui actu vacabat. Venerat illa ad hauriendam aquam, eique proponit gratiam ejus nomine, & ſymbolo aquæ viventis, ac in vitam æternam ſalientis, hujus deſiderium excitaturus in illa. *Biroat, Sermone de muliere Samaritana*.

Gratiæ, & vocationi Dei opus eſt reſpondere. *Audiam, quid loquatur in me Dominus meus*. Attente, & ſumma cum docilitate audiam, quid in imo corde mihi dixerit Deus, & quid facere me juſſerit. Heu! quam ſæpe boni motus, a Deo profecti, ſanctæ inſpirationes ab eodem immiſſæ, ut pœnitentiam nobis perſuadeant, gratiæ, quas nobis impertit tamquam diſpoſitiones, & auxilia ad eam peragendam, ſæpe inutiles fiunt: quin præteritorum nos pœniteat ſcelerum, veteribus adjicimus recentia; & quin divinæ miſericordiæ reſpondeamus docilitate noſtra illius imperiis obtemperantes, obſtinatione noſtra illius juſtitiam offendimus. In hoc autem gratiæ reſpondere debemus fideliter quibuſcumque occaſionibus utentes, & ſequentes ſecretos motus, quos in nobis excitat Deus, ne imprudenter illos elabi ſinamus veriti, ne iterum redeant. *Idem*.

Gratia ſe accommodat locis, atque temporibus pro peccatorum converſione. Dei Filius non ſolum Samaritanam expectat, verum etiam opportunam captat occaſionem agendi cum illa. Eligit locum a tumultu, ac rumore procul ſepoſitum, illudque tempus, quo ſcit eam illuc acceſſuram. Neque ideo putes gratiam vel tempore, vel loco, vel occaſione indigere; verum hæc omnia quærit, ut minorem libertati vim afferat, & majori cum ſuavitate hominis ſalutem operetur. Nonne ſumma eſt indulgentia, ſeſe nobis ſubjicere velle propter prædeſtinationis noſtræ ſecretum, atque meditari temporum, locorum, & occaſionum commoditatem, ut nos convertat? Cum legimus in Scripturis Saulem felici omine obvium factum fuiſſe Prophetæ, ab eo inunctum, atque in Regem Iſrael conſecratum fuiſſe, ſtatim hoc ſecreto divinæ Providentiæ conſilio dicimus accidiſſe: attamen Patres animadvertunt hanc eſſe figuram vocationis ad Dei gratiam, & dilectionem; & nullus ferme fuit ex converſis peccatoribus, famoſos autem peccatores intelligo, cui gratia non ſtruxerit inſidias, ut illum a ſceleribus ipſorum amoveret, & ad cujus converſionem locum, tempuſque opportunum nactus non fuerit. Nonne hoc innuere vult Iſaias Propheta per hæc verba, quæ Sanctus Auguſtinus interpretatus eſt: *Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te?* (*Iſaiæ 49.*) *Ex Sermone, qui ſub Patris Bourdalove nomine circumfertur pro die Samaritanæ*.

Effectus fidelitatis, atque infidelitatis gratiis Dei. Felix, qui reſpondet ſecretis miſericordiæ conſiliis, quæ de nobis concepit Deus! Quod ille juſtitiæ augmentum, quod incrementum virtutis aſſequeretur! Fidelis in modico in multis conſtituetur. Si dives eſſet, fieret adhuc opulentior; puriora lumina, vividioreſque ardores præmium eſſent adeo juſtæ diſpenſationis. Verum quomodo illis paremus? Gratias haſce, quæ eſſe deberent practicæ, atque fœcundæ ſecundum divinæ Sapientiæ conſilium, ſteriles efficimus. Væ nobis, qui in vanum poſſidemus animas noſtras; turpis paupertas eſt inertiæ noſtræ ſupplicium; ex hoc fundo, qui fertilis eſſe poterat, nihil colligimus, quam deſperationem, eo quod illum neglectum inſpicimus; tu vero, Spiritus ſanctitatis, & gratiæ jugibus oppoſitionibus noſtris propulſe, nihil aliud nobis es, quam flatus tenuis, atque pertranſiens. *Auctor Anonymus*.

Quomodo hæc gratia nobis donetur. Aliquando ipſe Deus immediate, ac ſolus hoc in anima lumen producit, quin aliquo utatur objecto, tunc etiam cum minus exiſtimatur. Dei *Spiritus*, Sanctus Joannes inquit, *ubi vult ſpirat, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat*. (*Joann. 3.*) Aliquando hoc lumen affulget per occaſionem boni alicujus exempli egregie dicti, quod auribus noſtris acciderit, funeſti caſus, qui alicui contigerit, ſalutaris afflictionis, quam Deus nobis immiſerit. Quoties hujuſmodi gratias accepiſti? & quoties illas neglexiſti, vel etiam contempſiſti? Lumen hoc plerumque conceditur nobis, quia petimus illud, neque illud haberemus, niſi peteretur a nobis. Sed heu! illudne nimis unquam petere poſſemus? Deus illud nonnumquam elargitur non quærentibus, immo vero fugientibus nobis. Si enim lumen hoc nos minime quæſiviſſet, unquamne, o Deus, ad te reverti cogitaſſemus? *P. Nepueu. Tomo quarto Chriſtianarum Conſiderationum*.

Cogitandū eſt quanti ſteterit Filio Dei gratia. Ubi David illud cogitavit periculum, quod tres ex delectis militibus ſuis ſtrenui viri ſubierant, ut ad illum afferrent aquam de ciſterna Bethlehem hauſtam, cujus ille deſiderio flagrare teſtatus fuerat, noluit eam bibere, ſed illius Domino gratiſſimum obtulit ſacrificium: *Libavit eam Domino, . . . numquid ſanguinem hominum iſtorum bibam?* (*2. Reg. 23.*) Dicamus, ſed in ſenſu longe alio, & oppoſito, ſi ſerio reputemus quanti ſteterit Filio Dei noſtra ſalus, & quantum impenderit ille, ut tot bonas inſpirationes, atque tot gratias ad ſanctificationem noſtram promereretur, dicamus inquam, nos nequaquam illas adeo exiguo in pretio habituros, atque nobis metum inceſſurum, ne per divinarum gratiarum contemptum inanem efficeremus ſanguinis Jeſu Chriſti effuſionem, omnemque Crucis, & Paſſionis ejuſdem fructum deleremus. *Numquid ſanguinem hominis iſtius bibam? La Font, 4. poſt Paſcha Dominica*.

Deus nobis integrū relinquit gratiæ aſſentiri. Deus cupiens omnes homines ſalvos fieri, vult, ut hæc ſalus & a ſe, & a nobis ſimul proficiſcatur. A ſe tamquam prima cauſa, a nobis tamquam ſecunda; a ſe, qui nobis ſuas gratias elargitur juxta naturam ſuam, quæ ipſa bonitas eſt; a nobis, qui gratias ejus recipimus juxta noſtrum ſtatum, qui plenæ eſt libertatis: a ſe, qui dicit: petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulſate & aperietur vobis; a nobis, qui & petere, & quærere, & pulſare poſſumus, & e contra. Verbo: Deus, qui nos ſalvos facere cupit, nequit aliquem noſtrum ſalvum facere invitum; cumque nos conſtituerit inter bonum, & malum noſtræ voluntatis dominos, ita nobiſcum tanta utitur bonitate, & audeo dicere, reverentia, ut velit, nos velle bonum illud, quod nobis offert, ut, cum illud voluerimus, adimplere poſſit in nobis magnum ſuę miſericordiæ opus, quod ſine nobis incœpit. *Ex Morali Dictionario, Sermone primo de gratia*.

Varii modi, quibus gratia nos trahit. Quis dicendo aſſequi poſſet modos omnes, quibus novit Deus trahere peccatores, eoſque ad ſe revocare? Alios hortatur, & invitat; aliis minas intentat, terroremque incutit, illis ſalutaria per

BIBLIOTECA CENTRAL

homines ſuo zelo ſuccenſos monita tribuit; his inopinatos caſus, dicam melius, opportunos eventus Providentia diſponit. Aliis fatalem ſolvit vittam, qua prohibebantur, ne veritatem viderent; aliorum in corde pia ſerit deſideria, dulceſque erga virtutem affectus inflammat. Aliis vitii horrorem inſpirat &c. *Idem*.

De gratiæ ſuavitate. Si D. Auguſtino credimus, gratiæ efficacia in quadam ſuavitate conſiſtit, quæ ita jucunde allicit voluntatem, ut hæc ſe trahi ſinat, & quæ ita victoriam reportat, ut innocua voluptas noxiam ſuperet voluptatem, quæ illam in captivitate tenebat. Itaque cum vis ſuavitatem roborat, ſuavitas vero vim lenit, illa certiſſime, atque jucundiſſime ſuum producit effectum. *Idem*.

Quamvis converſionem ſalutemque noſtram gratiæ debeamus, huic tamen pro virili cooperari debemus. Non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis opus eſt noſtra ſalus. Fulgur, quod Sanctum Paulum perculſit, de cœlo affulſit; cogitatio, quą prodigus filius ſimul & ſuam egeſtatem, & multitudinem ſervorum patris ſui comparat, deſurſum venit. Sed docilitas perſecutoris illius proſtrati exclamantis; Domine, quid me vis facere? & filii reditus in patriam domum ſine utriuſque voluntate, & cooperatione non accidit. Quos trahit Pater cœleſtis, profecto non traherentur, niſi per voluntatem ſuam illum ſequerentur. Qui veniunt, amore ducuntur. Hi amati fuerunt, & mox amarunt, voluerunt, quod ipſos velle Dominus voluit. Hic nobis ita voluntatem ipſi obtemperandi tribuit, ut iis etiam, qui perſeveraturi ſunt, non auferat eum mutabilitatis ſtatum, propter quem poſſunt nolle ſequi, & obtemperare. *Idem in Conſiderationibus*.

Gratia naturam noſtram non evertit, ſed regit ſolum, & perficit, illiuſ immutans objecta. Inſignis eſt error putantium, in hoc poſitam eſſe virtutem, ut affectibus careamus; Jeſu Chriſti gratia hos regit, non extinguit; ſanctificat, non evellit. Paulus vivido erat, ardentique ingenio; Salvator illum convertens numquid tranquillum effecit, & moderatum? Haud ita ſane; immutat ſolum ardentis hujus affectus objectum; & fervor ille, quo Damaſcum properabat Chriſtianam Religionam perſecuturus, ejuſque progreſſus inhibiturus, efficiet, ut extremas obeat terrarum oras, ejuſdem terminos prolaturus, & gentes omnes Jeſu Chriſti Evangelio ſubditurus. Magdalenæ cor erat tenerum, & amando pronum; numquid illi Jeſus cor frigidum, amandique neſcium effinget? Hoc ſi feciſſet, illa non extitiſſet ſæculis omnibus perfectum exemplar amantium Deum. Quin igitur teneros ex animo dilectionis ſenſus evellat, gratia illos confirmat, roboratque; & impenſus amor, in quo totum Magdalenæ ſcelus erat, fit materia meritorum, & ſanctitatis ejuſdem, ſtatim ac Deus in ejus corde occupat locum, quem antea creatura occupabat, ac fit objectum, & finis votorum, & dilectionis ejuſdem. *Abbas de Monmorel, Homilia pro quarta Dominica poſt Epiphaniam*.

Ejuſdem argumenti. Cum Dei gratia peccatores convertit, criminum eorumdem cauſas, atque inſtrumenta non tollit, qualia ſunt eorum ſtudia, & affectus, ſed illis utitur, ut eos ſanctos efficiat per affectus eoſdem, qui illos nocentes effecerant. Efficit ſolum, ut objectum immutent, itaut, quibus illi inſtrumentis uſi fuerant, ut læderent Deum, iiſdem ad majorem ejuſdem gloriam utantur; ſeu hac re ſuavius ſalvos facere velit, ſeſe eorum ſtudiis accomodans, ſeu glorioſius triumphum referre de peccatore, illos propiis ſuperans armis, atque in honorem reparare ſuum eadem via, qua fuerant uſi, ut Creatori ſuo contumeliam afferrent. Ita cum Magdalenam convertit, quæ prona erat ad amandum, hunc illius non abſtulit affectum, neque hunc ignem extinxit, illius tantum flammas alio convertit, ſanctius ejuſdem objectum tribuens, ut deinde illą Deum eodem ardore, atque affectu diligeret, quo mundum fuerat proſecuta. Scelus ſuum erat amor ipſius, ſed amor ejuſdem erit deinceps ejus virtus, & gloria. Ita cum Sanctum Paulum convertit, qui fervido erat temperamento, ardorem hunc non extinxit, ſed illum quodammodo in victoriæ ſuæ jura traduxit, & hujus perſecutoris furorem in Apoſtoli zelum immutavit. *Biroat, Panegyrico Converſionis S. Pauli*.

Quomodo gratia ſuavitate nos attrahat. Civilis, urbanæque vitæ ſecretum eſt, quod paſſim obſervatur, ubi aliquod ab aliquo beneficium obtinere contendimus, omnibus adniti viribus, ut illum aliqua re prævertamus, quæ eidem accepta poſſit accidere, & quæ aditum in cor ejus aperiat; exempli gratia aliqua res ab eodem petitur, quæ eidem accepta futura, atque lætitiam allatura exiſtimatur. Hac eadem arte Dei Filius utitur, cum cor aliquod in ſui amorem, atque ſervitutem ſtudet pertrahere. Efficit ut in animam illius ineffabile gaudium influat, propter quod exclamet: O Deus, quam admirabilem dulcedinem percipiunt, qui tibi fideliter famulantur! Hæc illa eſt præveniens gratia, qua Deus illos appellat, & quam S. Auguſtinus, *Victricem delectationem* vocat, quæ cor attrahit, & per quam pietatis exercitia, quæ nobis antea injucunda erant, & amara, nobis jucunda fiunt, & ſuavia: *Ut ſuave fiat quod non delectabat*, S. Auguſtinus ait. *P. Antonius a S. Martino a Porta, Tractatu de Gratia*.

Deſideratur quidem gratia Dei, ſed hæc vaga ſunt deſideria, frigida, inutilia, quæ eodem fere momento concepta, & extincta nihilum proſunt, niſi ut inertes enecent, ut loquitur Sapiens. Hæc ſunt deſideria, de quibus homines ficta pietate gloriantur, & cum quibus in vitiorum volutabro volunt perſeverare.

Qualibet virtus, & actio bona, ut chriſtiana ſit, fieri debet per motum gratiæ. Quamvis nulla ſit virtus, quæ humana appellari non poſſit, quia in homine eſt illam libere amplectente, certum nihilominus eſt illam, ut chriſtiana ſit, æternamque vitam mereatur, nequaquam ex mere humano principio proficiſci debere. Natura ſuam in eadem ſibi vendicat partem, ſed hanc naturam fovet, roborat, regitque gratia. Singuli partem ejuſdem nobis vindicare poſſumus: ſed ſupernaturale, divinumque principium nos excitat, agit, impellit, & nobiſcum id facit, quod illud in nobis, ſine nobis, non poſſet efficere, & cum quo facimus, quod ſine eodem neque conari, neque cogitare unquam poſſemus. Hinc fluit omne bonorum operum noſtrorum meritum. Aufer liberum arbitrium, voluntatis ſtudium, & affectionem, nihil ibi eſt, quod ſalutem recipiat; ſed aufer quoque gratiam, jam nulla reliqua via eſt, qua ad ſalutem hanc pervenire poſſimus, ut inquit Sanctus Bernardus: *Tolle liberum arbitrium, non erit, quod ſalvetur; tolle gratiam, non erit unde ſalvetur*. In duobus conſiſtit; cauſa requiritur, a qua producatur, & ſubjectum, in quo producatur. Cauſa hæc Deus eſt, ſubjectum vero liberum arbitrium. A gratia ſalus venit; creatura libera, & agens per hoc gratiæ principium ſalutem recipit. *Joly, Propoſitione pro quinta poſt Pentecoſten Dominica*.

Gratiam audire nolumus, ne illi parere teneamur. Homo poſitus in manu conſilii ſui ſæpe ſimilis eſt corruptis Judicibus, qui attentius rationes inſpicere nolunt, ne juſte judicare teneantur. Hinc quidem ſeſe oſtendit gratia, quoties efficit, ut noſtra intelligamus officia, nobiſque eorum exprobrat prævaricationem; ſed inde nos excæcat affectus, tamquam fatuos ſenes illos, quos Scriptura teſtatur, decreviſſe, ne oculos a terræ conſpectu amoverent: *Statuerunt declinare oculos in terram*. (*Pſal. 16.*) Hæc ignorantia non erat, ſed nequitia. Sciebant illi, ſe perperam agere, verum animum advertere refugiebant; jam conſilium ceperant, jam turpis libido illos excæcaverat; ratio, conſcientia, Dei metus nullam ultra vim in eorum corda, animoſque obtinebat. *Ex morali Dictionario. Sermone de Gratia*.

Gratiæ debemus quidquid boni facimus. Ullane bona cogitatio nobis ineſt? hanc nobis inſpirat gratia; nam ſine hac nequaquam ineſſet. Bonum aliquid operamur? hæc nobis viam ſternit facillimam; nam ſine hac nihil boni faceremus. Sumuſne culpæ obnoxii? hæc inde nos eripit; nam ſine hujus ope æternum in ſcelerum cœno volutaremur. Ad virtutem progredimur? hæc nos regit; nam ſi hæc vel momento nos desereret, immobiles, frigidique permaneremus. Poſt hæc ſuperbire poſſumus, & aſſertas virtutes noſtras oſtentare? *Idem Sermone 2.*

Gratia peccatores multifariā appellat. Gratia, S. Gregorius ait, hominem eo, quo vult, modo vocat, nunc interiori motu, bona cogitatione, pio deſiderio, nunc exteriori invitatione, ſapientis Directoris conſilio, Concionatoris Dei nomine loquentis ſermone, nunc vero interioribus ſimul, exterioribuſque illecebris. Hunc noctu vocat adverſis, illum interdiu proſperis & a ſlorentibus rebus; ſed quocumque modo, vel tempore vocet, ubi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. *Idem*.

In quæſtionibus de gratia quid ſpectandum. Apage moroſas diſputationes, ubi ſub colore veritatis inquirendæ, & propugnandæ ſæpe lethalia vulnera charitati chriſtianæ infliguntur. Verum non deſunt etiam, qui procul abhorrentes ab iis omnibus, quæ diſputationem redolent, minime inquirunt, quid in ipſis operaretur gratia, ſi eidem cooperarentur, & quid in illam peccent eidem reſiſtendo; qua cordis mentiſque diſpoſitione gratiam hanc & petere debeant, & recipere; qua fide, ac

dili-

diligentia efficere debeant, ut illa in ſe ipſis operetur, eique obſecundare teneantur. In hoc minime laborant; at numquamne ab Apoſtolo diſcent, præcipuum eorum ſtudium eſſe debere, ſeipſos præſertim excutere, utrum fideles ſint, an ſecus, communicationibus Dei, utrum ejuſdem beneficiis reſpondeant, utrum, quemadmodum Apoſtolus inquit, aliquis eorum gratiæ deſit? *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. Idem.* *Ad Hebr. 12*

Gratiæ cooperari debemus.

Falſo in opere ſalutis noſtræ aliquam nobis vendicaremus partem ejus propenſionis, ac ſtudii, quo corda noſtra legi divinæ obſequuntur, ſi de nobis idem eſſet, ac de mortuis lapidibus, quos cœmentarius faber, uti e re cenſuerit, collocat, quin illi reſiſtant, ullumve proprium motum oſtendant. Falſo diceremus nos currere, ambulare, noſque metipſos ſanctificare. Verum ita non eſt; & Deus nos in conſilii noſtri manu conſtituit. Si gratia vox eſt, eam nos audire jubet; ſi auxilium, eo nos uti vult; ſi illa debet incipere, noſtrumque ſpirituale ædificium perficere, præcipit, ut quatanus lapides vivi, & rationales (ita enim a Sancto Petro vocamur) pro virili aliquid huic operi conferamus. *Idem.*

De gratiæ indulgentia.

Gratia, ut ita loquar, peccatoris cordi, ac ſtudiis ſe accommodat; ſe ipſam facit illecebram voluptatem amantibus, gloriam ambitioſis, opes avaris, denique ſe in omnes humanos affectus convertit. O ſummam bonitatem! O inſignem indulgentiam! Sanctus Paulus fervidus erat ambitioſo, ardentique ingenio; gratia hinc induit caracterem, ut illum attrahat; illi ſenſus affectui ejuſdem aptos immittit, ac prudenter immutans objectum, quod illum nocentem efficiebat, eum expiat, atque ex furenti, bacchantique perſecutore in Apoſtolum zelo flagrantem convertit. *Sermo Manuſcriptus.*

Neceſſitas gratiæ, & quomodo ab ea pendere debemus.

A Deo non minus in gratiæ, quam naturæ ordine pendemus. Juſtificatio noſtra a Sancto Paulo creatio vocatur. Et profecto nos Deus juſtificat, quin aliquam in nobis diſpoſitionem, & aliquod meritum inveniat. Non poſſumus ex nobis vel minimum opus bonum perficere, vel bonum fovere deſiderium ſine gratia, quam mereri non poſſumus. Quid ſine gratia efficerent Sancti? Quodnam diſcrimen intereſt inter hominem ſibi traditum, atque ex ſe ſolo agentem, & inter hominem Deo cooperantem! David cum Deo agens ſanctus eſt; David ſolus agens adulter eſt, & homicida. Salomon mortalium omnium ſapientiſſimus cum Deo Salomon eſt, ſolus vero eſt Salomon cultor idolorum. Petrus Judæorum minas contemnens eſt Petrus cum Deo; ſed Petrus ad ancillæ vocem contremiſcens, Deumque ſuum negans eſt Petrus ſolus. *P. Nepueu 3. Tomo Conſiderationum.*

Nihil periculoſius, quam gratiæ reſiſtere.

Nihil periculoſius eſt, quam Dei gratiis reſiſtere. Hæ celeres, atque tranſeuntes ſunt gratiæ, uti volucris, non rediturae; fulgura ſunt in æternam noctem abeuntia ſtatim ferme ubi affulſere. Parum curas ex bono hoc exemplo proficere, inſpirationi huic reſpondere, pium hunc ſequi motum; numquid eamdem cibi quotidie gratiam Deus elargietur? fortaſſe elargietur ille, fortaſſe non item; ſed alterum potius time, quam ſperes alterum. Semel, & bis ad paratum te invitavit convivium; numquid & tertio eſt invitaturus? Ille tibi talentum credidit, tu illum ingeſta humo occuluiſti; numquid alterum tradet? Te in regnum ſuum vocavit; numquid vocabit iterum? Næ vereor, ut terribile illud Jeſu Chriſti oraculum adimpleatur in te: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus. Joly. Propoſitione pro decima nona poſt Pentecoſten Dominica.* *Matth. 21.*

Gratiæ olim a nobis contemptæ erunt aliquando cauſa damnationis noſtræ.

Gratiæ, quibus infideles ſumus, Deo, a quibus illas accepimus, contra nos erunt teſtes, & argumenta. Eas nobis contulit, ut ne minima quidem ſupereſſe poſſet de ipſo querela. Illas tibi non debebam, inquiet ille, attamen eas concedere volui; tu vero illas conculcaſti. Quid me cogebat, ut ad cœnam meam invitarem; attamen te invitavi; tu autem renuiſti; quid habes, quod mihi reſpondeas? Si Tyriis, Sidoniiſque eas contuliſſem gratias, quas tibi, ſeveriſſimam egiſſent pœnitentiam; tu vero ſemper in ſceleribus, flagitiiſque vitam traducere voluiſti, licet te illinc gratiæ, & inſpirationes meæ revocarent. Abi miſer. hæ tantum gratiæ, atque inſpirationes mihi ſufficiunt, ut te confundam. *Idem.*

Deus gratiis ſuis nos prævenit, & ſubſequitur.

Deus nos ſuis gratiis vocat; idemque non magnitudinem ſuam, noſtramque humilitatem, neque bonitatem ſuam, noſtramque ingratitudinem conſiderans nos prævenit, atque ſubſequitur, S. Bernardus ait. Nos quidem prævenit, bonam voluntatem inſpirans; ſubſequitur vero, bonam hanc adjuvans voluntatem: prævenit, cum peccatores ſumus, ut juſti fiamus; ſubſequitur, cum juſti ſumus, ne peccatores ulterius evadamus: prævenit, ut conſurgamus a lapſu; ſubſequitur, ne ulterius labamur. O nos beatos! ſi quantum ſollicitudinis, ac benignitatis ipſe erga nos habet, nos tantum fidei, & gratitudinis erga illum haberemus. *Idem.*

Deus tandem eos deſerit, qui ſunt gratiis ſuis infideles.

Deus plerumque ſtatim peccatores non percutit, ſed illis tempus reſipiſcendi permittit. Illis ſuas tribuit gratias, illos inſpirationibus prævertit ſuis, illos bonis inflammat exemplis, ut ad ſe redeant, & convertantur. Sed cum obſtinato animo illius gratias repellunt, cum illius inſpirationibus obluctantur, cum in iis, quos ad eos mittit caſus, obdurantur, cum in ludibrium traducunt exempla, quæ ob eorum oculos ſtatuit, dici poteſt eorum excidium inſtare. Talis eſt enim divinæ juſtitiæ, atque ultionis ordo, præſtolari donec peccator ſcelerum ſuorum menſuram repleverit, illum ſubinde ſollicitare, ac urgere, ac tandem ſua ab eodem amovere lumina, eumque deſerere. *Idem.*

De reſiſtentia gratiæ.

Peccator gratiæ reſiſtens negat Spiritui Sancto aditum in cor ſuum: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Hinc conjice, quanto mœrore alliciatur Dei ſpiritus, eo quod ita ſua vota fruſtrentur. *Ergo*, ait ille, *in vacuum laboravi, & fruſtra conſumpſi fortitudinem meam.* Fruſtra ad hujus cordis oſtium pulſavi; fruſtra tot artes adhibui, ut cor illud attraherem. Fruſtra omnia illius ſtudia, affectiones, atque motus exploravi, ut illud a nugis, & creatarum rerum amore divellerem. Quomodo aliquando increpabit nos divinus hic Spiritus, eo quod ipſius gratias contempſimus? Quid feciſti, miſer, de tot luminibus, ſanctis cogitationibus, piiſque motibus, quos recepiſti? Quo abierunt valida auxilia, exempla, monita, ſupplicia, redargutiones meæ? Quid de his rebus omnibus factum eſt? Videlicet factum eſt argumentum impœnitentiæ tuæ, tuæque improbæ confidentiæ. Numquid opus fuit, te nequam eſſe, quia erga te bonum, & miſericordem me præbui? *Liber Anonymus.* *Jobi 21.* *Iſaia 49.*

Dolor, quo conficiemur aliquando ob jacturam gratiarum Dei; & quomodo exprobrabimur.

Nihil eſt gratia fortius, nihil validius, ſi in ſemet accipiatur. Ipſa eſt ejuſdem Jeſu Chriſti ſanguis, quoniam hic ſanguis unus illam mereri potuit: ideoque in noſtras animas tantum virtutis ingerit, quantum ſi ſanguis ex Jeſu Chriſti vulneribus defluens in venas noſtras infunderetur. Faſne igitur eſt, ut ſanguis hic poſt confracta ſaxa, dæmonis imperium everſum, atque triumphum de inferno relatum ſuas vires amittat in Chriſtiano, qui illius affectus delere, & ignitos concupiſcentiæ motus extinguere valeat? *Idem.*

Videbit aliquando peccator gratias omnes, quibus abuſus eſt, tot ſalutares ſtimulos, quos ſuffocavit, tot ſanctas inſpirationes, quibus eſt obluctatus. Hæ gratiæ Salvatori tanto ſtetere pretio; ipſe vero eas flocci pendet; infinitus erat valor earum, quandoquidem erant pretium ſanguinis Dei; ipſe vero turpem voluptatem ſordidumque lucrum antetulit eas contemnens, & ſanguinem Domini, cujus fructus erant, nefariis pedibus obterens. Pars quædam tot affluentium gratiarum plures convertiſſet Ethnicos ad fidem, at ex eo verum fidelem efficere non valuerunt. Ex eo hominum ſanctum efficere poterant, ſed propter duritiam cordis ejus reprobum effecerunt. Illæ datæ erant ad noſtram quidem ſalutem, Dei vero juſtificationem, ſed propter ejus infidelitatem Dei quidem juſtificationi proderunt, illius vero damnationi, eum inexcuſabilem efficiendo. *P. Nepueu. Liber qui inſcribitur: La maniere de ſe preparer a la mort.*

Naturam non evertit gratia, ſed ſe accommodat illi.

Adeo abhorret a vero, quod gratia naturam evertat, ut immo eam perficere ſtudeat, ejuſque opera in ſuis maximi momenti explendis conſiliis utatur. Hæc, licet efficax ſit, nonnumquam noſtram ſcrutatur indolem, & temperamentum, atque ſeſe ita ſtudiis noſtris accommodat, ut nobiſcum non ſine quadam reverentiæ ſpecie ſe gerat. *Cum magna reverentia diſponis nos.* Hæc, quin ſuprema dominatione affectus noſtros irritet, eos delinit; quin motus tollat, eos ſedat, atque ſuavem eam vim, qua utitur, in hoc conſtituit, quod criminoſis objectis, quibus affectus noſtri corrumpebantur, innocuos ſubſtituat. *Fromentiere, Sermone de S. Magdalena.*

Gratiæ neceſſitas.

De Fide eſt hominem ne pedem quidem proferre

ferre poſſe Deum verſus, quin hoc ipſi debeat Deo. Si vota nuncupat, hæc illi inſpirat Deus; ſi preces effundit, has illum docet Deus; ſi effundit lacrymas, ne putes eas ab oculis tantum, vel corde ejuſdem manare; quomodo enim aquæ in æternam uſque vitam reſilirent, niſi a ſupernaturali, divinoque fonte fluxiſſent? Verum ſi nequit homo ex ſe vel minimum aliquid ad ſuam ſanctificationem adniti, quid tandem fiet, cum magni obices erunt infringendi, veluti aulæ, mundique negotia? *Quod maxime bonum*, Tertullianus ait, *id maxime penes Deum*; principium, cui innixi Patres probarunt martyrium, qui maximus eſt Chriſtianæ charitatis conatus, a Deo omnino, & magis a gratia, quam quodlibet aliud bonum opus, pendere. Verum putaſne ex Sanctorum Patrum ſententia mundum relinquere, cum magna in eo poſſidentur bona, affectus in ipſo juventutis æſtu compeſcere, naturam ſuperare in teneris affectionibus, aliquid eſſe martyrio minus? *Idem in alio Sermone.*

Gratia efficit, ut terrena flocci faciamus.

Ille, in quem Deus ſuæ gratiæ lumina effundit, momento omnium terrenarum rerum exiſtimationem abjicit, & id æque eſt, ac ſi illa prorſus abjiceret. Illi accidit tamquam viro, cui, cum in arca ſe pretioſos lapides habere putaret denis aureorum millibus æſtimatos, ſcitus quidam lapidarius oſtenderet omnes adulterinos eſſe, merumque vitrum. Repente vir ille, qui ſe locupletem putabat, ad egeſtatem redigitur, omneſque ſentit paupertatis ærumnas. Hoc lumen vanitatem quidem oſtendit rerum omnium, quæ amantur in terra, earum brevitatem, fragilitatem, inconſtantiam, triſtes exitus repræſentans, veritatem autem patefacit rerum omnium, quæ metuuntur. *Pater de la Colombiere in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Gratia cauſa eſt virtutum, & bonorum omnium.

Putaſne bonam cogitationem primam eſſe omnium meritorum in Sanctis cauſam, virtutem omnium radicem, omnium bonorum operum principium, & fontem omnis ſanctitatis? ſine hac nihil fidei in fidelibus, nihil charitatis in juſtis futurum? hanc deſerta loca Pœnitentibus, carceres Martyribus, clauſtra Cœnobitis, Eccleſiam Confeſſoribus, Sanctiſque Paradiſum repleſſe? Hoc ſi credis, quare illam tam male recipis, cum tibi a Domino offertur? Vereris, ne illa tibi accidat moleſta? oſtium enim cordis tui obſtruis illi, quo ſi permeat, in injuſtitia detines illam, eamque ſuffocare conaris, quin malos exitus timeas, quin ea videas mala, quæ in caput tuum detorques, quin cogites futurum ut illam contemnens periculum ſubeas bonorum omnium jacturam faciendi. *Pater Novet in Meditatione Mulieris Samaritanæ.*

Gratia ſervanda eſt; alioquin fit inutilis.

Memento, cœli lumina, & cogitationes, quas tibi ingerit Deus, quantumvis pretioſa ſint, inutilia fieri, niſi tuum illis præſtas aſſenſum, omnique fructu eſſe vacua, ſi illa ſine effectu pateris pertranſire. Fruſtra venti perflant, ſi morſu ratem alligat anchora, & ſicco in littore ſubtracta navis quieſcit. Fruſtra Dei Filius loquitur, ſi vocem illius non audis, fruſtra te vocat, ſi eum ſequi renuis. Tellus relinquenda eſt, ſi vis, ut in cœlum te gratia evehat; auferendi obices ſunt, nexus infringendi, ſuperandi affectus inordinati, qui ſunt noſtræ ſervitutis compedes, & vincula, quibus in vitiis detinemur. Quid ſibi vult Dei Filius, cum efficit, ut inter animæ tuæ tenebras gratiæ ſuæ lumen oriatur? Vult oſtendere periculum, in quod te tuus tepor induxit, vult te ad pœnitentiam compellere, vult ad mortificationis, virtutumque omnium exercitationem te inflammare. Sed quid tibi proderit Dei voluntates exploratas habere, ſi eiſdem rebellis es? quid utilitatem virtutum cognoſcere, ſi earum exercitationem odiſti? quid videre qua ſit eundum ad Deum, ſi rebus creatis inhæres? *Idem.*

Gratiæ reſiſtentes ſæpe Dei patientiam fatigamus.

Chriſtiani quot in mundo, & fortaſſe inter nos etiam peccatores ſunt, qui æque ac mulier Samaritana Dei patientiam fatigant? *Fatigatus ex itinere.* Quot ſunt, quos ægre patitur Deus, & qui iniquitatum ſuarum pondus augentes, ut ait Tertullianus, facti ſunt eidem incommodi, atque graves illius miſericordiæ? Si enim de ſenſibus Dei ex noſtris judicium ferre volumus, nonne intelligere poſſumus, quanta ſit gratiæ ejuſdem ſuavitas? Illos non compellit, non cogit. Deus eſt, quia patitur illos, eoſque expectando non fatigatur, donec miſeri non fatigantur efficiendo, ut Deus expectet. *P. Bourdaloue, Sermone de Samaritana.*

Cavendum, ne inſolitæ gratiæ rejiciantur.

Fidelium animos nonnumquam inſoliti quidam caſus movent; ineunt conſilia ſeſe convertendi, ſed hæc paullatim evaneſcunt: cum ceſſant plagæ, ſtatim recidunt in eum ſoporem, ex quo caſus illi eos excitaverant. Non ita opus eſt uti inſuetis Divinæ potentiæ diſpoſitionibus, quas noſtris objicit oculis. Non vult ſolum, nos illis tangi, ſed tangi vult modo permanenti, & ſenſus, quo inde concipimus, diu ſubſiſtere, ſin minus ut ſentiantur, ſaltem ut nos ad agendum impellant. *Deſumptum ex libro, cui titulus: Eſſais de Morale ſur les Evangiles.*

De exterioribus gratiis, quibus Deus interiores adjicit.

Deus viſitat bonis omnibus, quibus nos cumulat, malis, quæ immittit; & quia hæc omnia nos debent impellere, ut jugiter ad Deum confugiamus, jugiter hujuſmodi viſitationibus ſtipati ſumus; atque cum per intelligentes, tum non intelligentes, cum anima præditas, tum anima carentes creaturas loquitur nobis. Noſtra obduratio nos voci illius ſurdos efficit, & vetat, ne illam audiamus; ſed præter hæc generalia beneficia non deſunt alia, quæ magis proprie viſitationes vocantur, & ea ſunt, per quæ Deus apertius ſe nobis manifeſtat, & propius alloquitur. Hujus generis ſunt documenta, quæ nobis tradit in Scripturis, vel per os Miniſtrorum ſuorum, virtutum exempla, quæ oculis noſtris proponit, ſupplicia, quæ apertam habent rationem cum noſtris ſceleribus, peculiares occaſiones ſalutem noſtram operandi, quas exhibet nobis. *Ibidem.*

Gratia non ſola agit, ſed nobiſcum.

Ego non ſolus ago, ſed mecum gratia: uterque concurrimus, gratia, & ego; gratia, ut inſpiret; ego ut ſalutaribus inſpirationibus ejus reſpondeam. Deus enim non operatur in nobis tamquam in lapidibus ſenſu, animaque carentibus, qui impetum ab eo ſolum recipiunt, a quo projiciuntur, ſed tamquam in creaturis intelligentibus, ac rationalibus, quæ a Deo actæ actionem referunt pro actione, & cum cognitione, ac voluntate divinam vocationem ſequuntur. Ille trahit, nos currimus, ille illuminat, nos videmus, ille convertit, & nos gratiæ virtute convertimur. Salvator enim animarum noſtrarum, nobis invitis, in nos introire non vult vi, ac impetu facto oſtium infringens victoris inſtar, qui oppugnatum oppidum tandem expugnat, vel inſtar irati judicis, qui ſatellite multo ſtipatus alicujus fores proſternit, ut ſua mandata expleantur. Cum Deus ad nos venit per gratiam, tunc ſuavitatem tantummodo adhibet, atque jucunda ſui amoris utitur vi, ut in nobis omnia libera ſint, atque voluntaria. Pulſat ille ad oſtium ſui ſpiritus motu, qui feliciter ſeſe in animas noſtras inſinuat; nos vero aperimus illi motu cordis noſtri, eumdem cum gaudio recipientis. *Liber Anonymus.*

Gratia paulatim agit, neque ſtatim ſuos effectus producit.

Miræ hujuſmodi mutationes gratiæ non ſunt diei unius fructus. Cum fortis armatus cordis poſſeſſionem adiit, non ita facile ſe illinc patitur exterminari. Domus in rupe ædificata primo ictu non concidit; dæmon in anima permanens non cedit primis conatibus, quibus illum inde conaris extrudere. Similiter gratia nequaquam repente in corde certam ſibi firmamque ſedem conſtituit; ſero, ac ſenſim progreditur, & convaleſcit. Paulatim perficit opus ſuum. Proprii affectus ſuperandi ſunt, ac ſalutis noſtræ inimici profligandi. *Sermo Manuſcriptus.*

Non deſunt quædam gratiæ criticæ, a quibus ſalus noſtra pendet.

Videte fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Gratia Dei noſtram cooperationem efflagitat; cavendum eſt ne ſuffocemus illam. Adſunt quædam dominatrices gratiæ in vita, quædam maximi momenti inſpirationes, velut illæ, quæ poſt diuturnam peccati conſuetudinem nobis veram converſionem ſuadent. Heu! *Videte fratres.* Quam maxime intereſt, fideliter has captare occaſiones, & hujuſmodi gratiis cooperari; namque ut plurimum ex hiſce momentis pendet noſtra ſalus. Hæ ſunt potentes inſpirationes, quas aliæ forſitan non ſubſequentur; cum enim Dei miſericordia conatus exerat, ut eas nobis concedat, ſi illas repulerimus, fatigabitur. *Biroat, Serm. de Converſione S. Pauli.*

De gratiis, quæ victrices vocantur.

In Dei theſauris gratiæ quædam inveniuntur, quas Sanctus Auguſtinus, *delectationes victrices*, Tertullianus vero *triumphatoria verba* vocat; non quod neceſſario hominis conſenſum trahant, ſed earum victrix potentia in hoc poſita eſt, quod ex quibuſdam inſpirationibus adeo validis, vividiſque procedunt, ut ſuavi violentia certiſſime voluntatem ad deditionem compellant. Hoc pacto Deus cordibus noſtris æque ac reliquis rebus potitur, & omnipotentem hanc voluntatem exercet, qua illa, quocumque libuerit, inflectit: *Habens humanorum cordium, quocum-*

BIBLIOTECA CENTRAL UNAM

cumque libuerit, inclinandorum potentiſſimam voluntatem, Sanctus Auguſtinus inquit. Verum cum hęc ſit potentiæ æque ac bonitatis ejuſdem opera, ea in communi providentiæ ſuæ curſu minime exercet.

Ejuſdem argumenti. In vulgaribus peccatorum converſionibus non ita celeriter agit Deus; neque vulgo gratias adeo efficaces, & imperioſas impertit: hæ lentius incedunt, & paulatim corda ab ipſis vincenda diſponunt. Ad hæc homines non ita repente ſeſe illis dedunt. Heu! qui conatus, & certamina! quæ lacrymæ, & ſuſpiria! antequam dici queat, volo, *Domine, quid me vis facere*. S. Cyprianus harum operationum diſcrimen brevi admodum explicat: *Non pro mora temporum, ſed compendio gratiæ maturatur charitas*. Hi fructus ſunt, qui temporum vices non præſtolantur, ſed gratiæ compendio illos ad maturitatem ferre feſtinantis producuntur. *Idem*.

Inexcuſabiles ſumus, ſi cum tot gratias habeamus, nihilominus perimus. Quid reſpondere poteris Deo, cum dixerit, ſe tibi ideo gratiam ſuam contuliſſe, ut cum illa cooperareris, te ideo in Eccleſiæ ſuæ ſinu educaſſe, in aquis Baptiſmatis regeneraſſe, in Pœnitentiæ Sacramento omnes infirmitates tuas ſanaſſe, ut donis hiſce cœleſtibus adjutus bonitatis ſuæ conſiliis reſponderes? Numquid dices, ab ipſo peti, quæ tibi ſunt impoſſibilia? Sed quoties tu experientia magiſtra didiciſti, te ideo muneribus tuis non fuiſſe perfunctum, eo quod noluiſti? Diceſne, tibi efficaces, atque victrices defuiſſe gratias? Sed cum gratiis iiſdem, quas tu recepiſti, nonne alii, qui ſeſe illis fideliores præbuerunt, ſanctificati fuere? Cauſaberis affectus tuos nimis acres, atque vehementes? Sed quam tibimet vim intuliſti eos ſubacturus? Tibi nimis multos obices reſtitiſſe? At nonne difficiliores ſuperaſti, ut ad interitum, atque damnationem prorueres? Qua de re igitur jure conqueri potes, niſi de ipſo te, qui neque ita diligens fuiſti, ut a Deo peteres, quæ ab eo unice poteras obtinere, neque ita fidelis, & generoſus, ut cooperareris gratiæ, quam recepiſti? Fateor, Domine, ſi ita infelix fuero, ut peream, a me uno profecturum excidium meum; ſin autem ita felix, ut ſalutem conſequar, hanc uni tibi a me acceptam eſſe referendam. *Idem*.

Quid gratiæ vim & efficaciam tribuat, ignoratur. De gratia idem ferme dicendum, quod de pluribus rebus, quæ in natura ſunt, quarum quidem videntur effectus, cauſa vero ignoratur. Omnia videmus, & omnipotentis hujus gratiæ admiramur effecta. Modo peccatores lapidibus ipſis duriores, frigidioreſque a terra evelluntur, ac cœleſtibus tantum inhærent; modo cæci illuminantur, & qui antea ſedebant in tenebris, & in umbra mortis, alacriter ſequuntur lumen, quod illos deducit, primoſque errores execrantur. Undenam hæc gratiæ virtus procedit? Unde hæc in homine ſubmiſſio? Numquid libertas ejus ſubacta eſt? Cur alii trahuntur, alii vero deſeruntur? hoc profecto ignoramus. Sanctus Auguſtinus præclara quædam conſtituit principia ad profundum hoc gratiæ myſterium explicandum. Nonnumquam victricem illius vim, invictamque potentiam, cujus effectum humana voluntas numquam prohibet, & eludit, admiratur. Alibi eam nobis repræſentat veluti ſuaviſſimam perſuaſionem, quæ hominem allicit, ut ad ſe trahat, eumque ex infirmiori ipſius aggreditur parte, ut vincat illum, & quæ illius ſtudiis ſeſe accommodare videtur, ut illum ſibi ſubjiciat. Denique tamquam medius inter utrumque extremum incedens, ac vim gratiæ cum ejuſdem ſuavitate conjungens, de eadem verba facit tamquam victrici ſuavitate, ac Regina, quæ ſibi obedientiam præſtari volens omnem adhibet auctoritatem, pulchritudinem, minas, promiſſioneſque ſuas, ut rebelles ſubditos domet, eoſque in officio contineat. *Idem Biroat*.

Viæ, quibus utitur gratia, ut nos attrahat, & quo voluerit, deducat. Gratia peccatorem patienter expectat, illum opportunis occaſionibus uſa ſuperat, ac ſalutaribus faſtidiis illi aufert errores. Nonnumquam dico illos expectat, quos de ſceleribus ſtudet eruere, atque per imperceptibiles vias ad illum deducit terminum, qui ab æterno pro eorum ſanctificatione fuit conſtitutus. Qualis erat Jonas, ſæpe tales ſunt peccatores. Propheta hic iter aggreditur oppoſitum illi, quod a Deo ingredi juſſus fuerat; in navis ima parte deliteſcit, tamquam illius vitaturus oculos, cui nihil abſconditum eſt. Sed per eos obices, qui minime ſuperandi videbantur, traductus eſt ad Ninive mœnia, ubi ea faceſſere tenetur mandata, quæ adimplere neglexerat. Sæpe etiam peccator inſequentem Domini gratiam effugit, de voluptate in voluptatem tranſiliens, ſed tandem felix illud momentum adeſt, quo Domini miſericordia illum expectat, & ad ſalutarem pœnitentiam adducit. *Idem*.

Ejuſdem argumenti. Quomodo gratia peccatores quærit? quomodo illos convertit? nauſea terrenarum rerum, quam illis immittit, ſtimulis, quibus conſcientiam eorum nimis tranquillam excitat, ſalutaribus conſiderationibus, quas illis obtrudit de mundi vanitate, bonorumque illius fragilitate, neceſſitudinum inconſtantia, amaritudinibus voluptates ſubſequentibus, promiſſionum ejuſdem illuſionibus. Ibi illis ipſorum oſtendit cæcitatem in ea bonorum diſſipatione, qua ſuam familiam evertunt, in brutalis affectus ſopore, qui illos dedecore coram hominibus afficit, ac tandem crudelem illis relinquet pœnitentiam. Ibi inter menſas opipare inſtructas, in ipſis libidinum omnium receſſibus eos tangit, ac movet modo ſenſu quodam ſuperbiæ, quæ inde illos avellit intrinſecus flagitiorum ipſorum pudorem, & confuſionem excitans; modo aculeatis ſtimulis, qui illos diſcerpunt, neque ullam ipſis requiem relinquunt; modo rationabili, & chriſtiana averſione ab iis, quæ maxime deperibant. *Idem*.

Effectus contemptus gratiæ Dei. Cuinam principio ea referenda ſunt ſcelera, in quibus tot peccatores volutantur, de abyſſo in abyſſum indeſinenter ruentes? Sane cupiditati, quæ tunc illis dominatur. Verum cupiditas iſta, licet omnipotens, adeo tyrannicum in ipſos haberet imperium, niſi gratia in eorum corde infirmata fuiſſet, prout ibi radices jecit peccatum, ibique convaluit? Viverentne in tanta tenebrarum caligine, niſi Deus ſua ſubtraxiſſet lumina, quæ illi toties extinxerunt? Quot vivunt in ſumma ſalutis oblivione, minime afficiuntur exprobrationibus, quibus increpantur; ob oculos habent validiſſima exempla, ac ex illis nullam hauriunt utilitatem, in ipſa etiam effœta ætate, ultimaque ſenectute eoſdem habitus, eaſdemque affectiones ſervantes? Quot adſunt in ipſo fere mortis limine, & non reſipiſcunt, neque conſcientiam ſuam excutiunt, ſemper æque mundum perdite amantes, fortuna ſua ebrii, affectuum ſuorum mancipia, & ſuis voluptatibus addicti? Unde hoc? quia Spiritus Sancti oraculum adimpletur in illis: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum*. *Pſal. 34.* Gratiæ lumen non affulget illis: in caliginoſa nocte verſantur, itaut videre nequeant objecta, quibus fortaſſe commoverentur. Quacumque incedunt, ludibrium eſt; ideoque in ſingulos greſſus ceſpitant, atque labuntur. Affectus ſemper magis acer, ac fortis, quia gratia illi non obluctatur amplius, illos quocumque voluerit circumfert. Studium, animi propenſio nullum inveniens obicem, quo detineatur, illos trahit. Tentatio illos primo ictu profligat, & infernus ita eos ſibi mancipat, ut ferme nequeant ultra jugum excutere, ac amiſſam libertatem recipere. *P. Girouſt Sermone de ſubtractione Gratiarum*.

Gratia laborem imminuit, quo nosmet Deo mancipamus, non aufert. Fortaſſe gratiam expectas, quæ ſine labore, tumultu, certamine ad virtutem convertat. Hæc inſania eſt; cor repente non mutat objectum, ac ſtudia, quin vim inferat ſibi; fortis armatus, qui cor tuum poſſidet, gratiæ aditum prohibere conatur; clades illius nonniſi charo ſtare poteſt pretio; vult vinci, vult expugnari. De vitio ad virtutem tranſitus non eſt adeo facilis; procella malaciam præcedat, neceſſe eſt; gratia laborem quidem imminuit, non aufert. Quantumvis efficax, & ſuavis extiterit gratiæ illecebra, quæ S. Auguſtinum convertit, quanam difficultate ſeſe ex vitiorum impedimentis expedivit? Quibus ambiguitatibus agitatus fuit! Quem in ſe horrorem expertus eſt? Quem terrorem ſola mutationis cogitatio attullit illi? Quod eorum, quæ relicturus erat, deſiderium? Quem futuri metum? Quæ dubietas, quæ ſenſuum oppoſitio in jugi incertitudine mentem illius fluctuantem vexabant? Timetipſi vis eſt inferenda, ut gratię reſpondeas; ac putas te ſine ullo labore iſthæc perficere poſſe? *P. Cheminais Sermone de S. Magdalena*.

De ſubtractione gratiæ. Gratiæ ſubtractio æquiſſima eſt pœna contemptus ejuſdem. Gratia eſt Domini viſitatio, qua nos dignatur. Tu illi claudis oſtium, neque eum dignaris accipere; ille diſcedit. Num jure conqueri potes? num æquius te poteſt punire? Gratia donum eſt, quod gratuita liberalitate Dominus tibi offert, ſed donum omnia in ſe continens bona; tu donum hoc reſpuis; ille hoc offerre ceſſat; quid æquius? ſi egeſtate laboras, cui ſuccenſere debes niſi ipſi tibi? Gratia lumen eſt: ſol ſe tibi offert, ut te illuminet; tu feneſtras obſtruis; ſi in tenebris ſquales, cujus culpa eſt ſolis, an tua? Deus adeo frequenter ſua tibi obtulit lumina, tu vero illis toties rebellis fuiſti; ipſe hæc aufert; tu illis cares, & in tua permanes cæcitate; nonne hanc pœnam mereris? *P. Nepueu Tomo 4. Chriſtianarum Conſiderationum*.

Quid ſit lumen gratiæ, & qui effectus illius. Gratia lumen eſt, quod nobis tribuit Deus ad mentem noſtram illuſtrandam, atque ejiciendas tenebras, quas illi peccatum offudit. Quia Jeſus Chriſtus eſt gratiæ principium, ideo ſe Patrem luminum, vel lucem ipſam appellat, *Ego ſum lux mundi*. *Joann. 8.* Gratia eſt communicatio increatæ hujus lucis, & radius ex hoc juſtitiæ Sole emanans. Corporeæ lucis effectus nobis mirum in modum luminis ſpiritualis effectus indigitant. Lux diſſipat noctis tenebras; gratia vero peccati caliginem tollit. Quicumque in tenebris ambulat, periculum eſt, ne in ſingula momenta labatur, vel erret; quicumque gratiæ luminibus illuſtratus non eſt, numquam fere pedem movet, quin cadat. Si cadis, ſi adeo frequenter erras, ideo erras, quia gratiam non ſequeris ducem. Nonnunquam gratiæ lumen fulguris inſtar prætervolat, ſed magnos ſemper gignit effectus, ut lux illa, quæ Paulo affulſit, eumque convertit. *Idem*.

Gratia in peccatoribus ſenſim operatur. Non ſemper in peccatorum converſione Deus celeriter agit, vel, ſi mavis, non tradit illis vulgo adeo efficaces, imperioſaſque gratias. Hæ lento gradu procedunt, atque ſenſim ea corda diſponunt, quæ vinci cupiunt. Ad hæc homines non ita repente ſe dedunt. Heu! quot certamina, & labores! quot lacrymæ, atque ſuſpiria, antequam dici queat; volo; Domine, quid me vis facere? ut olim S. Paulus. Non defuere tamen, qui repente ſeſe converterunt ſine reſiſtentia, & cunctatione, ſed ſubita, potentique gratiæ potentia, quam feſtinantem vocat Sanctus Cyprianus deſumpta ex præcocibus fructibus ſimilitudine, qui tempus ſuum non expectant, ſed ante tempus matureſcunt. *Non pro mora temporum, ſed compendio gratiæ maturatur charitas. Biroat. Sermone de Converſione S. Pauli.*

Quomodo nos gratia præveniat, & excitet. Opus eſt, ut nos Deus excitante gratia præveniat, interius animam alloquens vocatione cœleſti, atque cordi ſupernaturalem motum tribuens, qui illud agat, ſollicitet, urgeat, impellat, deſideriis, & metu, ſpe, & amore, aliiſque ſecretis motibus, qui in noſtra poteſtate non ſunt, & naturæ viribus non excitantur, ſed immediate a Deo tamquam gratiæ principio proficiſcuntur. Alioquin impoſſibile eſt ad eum reverti, ubi ab illo diſceſſerimus, atque ex eo morbo, in quem cecidimus, convaleſcere; ut hujus Oraculi veritatem intelligamus, excidium noſtrum a nobis eſſe, auxilium vero unice a Deo. *Maimbourg. Sermone pro feria ſexta poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam.*

Ejuſdem argumenti. Hæc eſt admirabilis induſtria peculiaris Providentiæ, qua Deus noſtri curam gerit, & quæ effectus eſt amoris ſummi, quo nos proſequitur. Te ne cogitante quidem, adverſa quædam ingruit calamitas, ægritudo, aliuſve triſtis eventus, qui efficit, ut te ipſum colligas. Tunc ſocius aliquis te forte ad concionem audiendam adducit, ubi Deus potenti Concionatoris verbo, qui de te nihil cogitat magis, quam tu antea de illo cogitares, oculos tibi aperit, ac ſubito motu cor ipſum percellit. Si humanitus loquimur, hic merus eſt caſus; tu ad hæc antea non cogitabas, & nonniſi ex mero caſu adverſa illa tibi accidiſſe videntur. Sed ſi rem intus inſpicias, hæc divina eſt providentia, quæ omnia ad tuam utilitatem diſponit. *Idem*.

Gratia prior nos quærit, & inſequitur. Noſtis miraculum a Deo in Iſraelitarum gratiam patratum in deſerto, ut eorum ſitim levaret. Non ſolum aquæ vivæ fontem ex rupe elicuit, ſed voluit etiam, ut miraculoſus hic fons populum ſuum quocumque ſubſequeretur, *Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra*, Sanctus Paulus ait. Quocumque ſeſe verterent Iſraelitæ, ſeu immenſa camporum æquora metirentur, ſeu montium ſuperarent juga, hæc aqua curſum non ex naturali pondere, ſed ex Divino Spiritu conſecuta ſeſe indigentibus ſemper offerebat. Præclara Jeſu Chriſti, & gratiæ, quam nobis ille promeruit, figura; quemadmodum ipſe Apoſtolus explicat: *Petra autem erat Chriſtus*. Gratia hæc, tamquam fons divinus nos quocumque ſequitur, donec in terræ hujus deſerto peregre proficiſcimur. Non expectat ſe a nobis requiri, nos illa quærit, poſt nos currit, nos urget, atque ſollicitat, ut ſaluberrimas ipſius aquas bibamus. *Fromentiere. Sermone de Gratia.*

Exhortatio, ne gratiæ Dei rejiciantur. O anima chriſtiana, te per Deum, tuæque ſalutis negotium obſecro, & obteſtor, ut hæc tria attente conſideres. Primum ingentem gratiarum communium, & peculiarium numerum, quas diſſipaſti; plures enim recepiſti gratias, quam quæ ad integras Provincias convertendas opus fuiſſent; & nihilominus nihil in vitæ tuæ ratione immutatum eſt. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. *Matth. 11.* Tot gratiis non fuiſſet opus ad plures barbaros, pluresque infideles convertendos &c. Secundo conſidera, quandiu te Deus expectat; tu vero eidem reſiſtis. Audis verbum Dei, frequens etiam accedis ad Sacramenta, attamen nulla in moribus tuis correctio deprehenditur. Non deeſt metuendi ratio, futurum ut ita vitam ducere perſequaris, ac tandem fato concedas, quin egeris pœnitentiam. Tertio denique time breve illud temporis ſpatium, quod tibi ſupereſt, & quo decrevit Deus pertinacem hanc reſiſtentiam pati. Hæc fortaſſe noviſſima gratia eſt, qua te Deus fortiter alloqui ſtatuit. *Pater Texier, Sermone pro feria 2. poſt quintam Quadrageſimæ Hebdomadam.*

Deus inæqualiter ſuas gratias diſtribuit, omnibus tamen ſufficienter. Verum eſt, Domine, non ſemper omnibus a te pares gratias diſtribui; attamen eas illis gratias largiris, quæ eos inexcuſabiles efficient, cum a te judicabuntur, vel potius cum ſeipſos judicabunt, & veritas eorum conſcientiis inſita ipſorum profert damnationem. Verum eſt, te plura illis præſtare potuiſſe, & noluiſſe; verum omnia feciſti, quæ oportebant, ne tibi eorum pernicies referretur accepta: eam permiſiſti, non effeciſti; ſi nequam ſunt, non ideo ſunt, quia illis minime tribueris, unde boni eſſe poſſent; hoc enim noluere. Illi optionem reliquiſti; quis conqueri poteſt, quod gratiæ ſuperabundantiam non contuleris eis? Dominus ſervis ſuis offerens juſtam laboris mercedem, nonne poteſt aliquibus liberalius dona conferre? Quod his ultra menſuram elargitur, aliiſne anſam tribuit de eo conquerendi? Ita, o Domine, oſtendit, univerſas vias tuas, ut Scriptura loquitur, veritatem eſſe, & judicium. Omnibus bonus es, ſed variis gradibus, & miſericordiæ, quas large, effuſeque aliis impertis, non ſunt lex, quam tibimetipſi irroges, ut & cum aliis eadem utaris largitate. *Auctor Anonymus.*

Gratiæ obediendum eſt, potiuſque, quam circa ejus naturam philoſophandum. O Pater miſericordiarum! de gratia philoſophari non cogito, ſed memet illi ſilentem tradere. Illa facit omnia in homine, ſed omnia per illum, & cum illo facit. Cum illa igitur agam, oportet, & abſtineam, patiar, & expectem, credam, ſperem, & diligam ſecundum impreſſiones illius. Sed tandem cor commotum eſt, & tu non ſalvas hominem; quin homo operetur. Mihi igitur laborandum eſt, quin ne momentum quidem temporis amittam, ne remorer gratiam me indeſinenter ſollicitantem. Omne bonum ab illa, malum omne a me proficiſcitur; cum bonum facio, ipſa me animat, cum malum, ego illi reſiſto. Abſit, me de eadem aliquid ultra cognoſcere velle; reliqua omnia nonniſi audaci curioſitati meæ alendæ prodeſſent. *Idem*.

Celeriter gratiæ ſeſe dedere oportet citra deliberationem. Spiritui Sancto vocanti reſpondendum eſt; neque deditio expectanda eſt, & differenda; cum liquido conſtet, gratiæ aliquid deperire, ubi diu ambigitur, & deliberatur. Statim ac Jeſus Chriſtus Sanctum Matthæum alloquitur, hic extremum vale telonio dicit, quin vel eas conſideret difficultates, quæ ſibi ſuperandæ ſunt, ut illum ſequatur, vel ejus vitæ commoda, quæ ſibi ſunt relinquenda. Petrus projicit retia, phaſelum deſerit, Domino vocante; atque ad novum hunc conatum exercendum ſola Salvatoris indiget gratia. Ex quo deliberatur, jam indicio eſt, nos velle cum mundo paciſci, & neque fortiter, neque omnino velle Deum ſequi; & interim gratia dilabitur. Profecto gratia quædam habet felicia momenta, quæ ubi ſemel fuerint elapſa, neque tempore, neque loco, neque ullis circumſtantiis revocantur. Adoleſcens ille Evangelicus, qui contra Domini inſpirationem profectus eſt, ut patrem efferret, non rediit iterum ad Jeſum Chriſtum, a quo diſceſſerat, atque ſe præbuit indignum, qui ut antea in diſcipulorum ejus albo recenſeretur. Spiritus Dei flat ubi vult, & quando vult; ac ſalus ex hoc uno pendet, ut te præbeas attentum voci ejus audiendæ, atque, ubi illam audieris, ſtatim reſpondeas. Cum te viſitat, hilariter excipiendus eſt; unica converſionis gratia neglecta, unicus pœnitentiæ motus rejectus forſan eſt ſola cauſa, propter quam numquam converteris. *Ex Sermone de S. Maria Magdalena, qui P. Maſſilon attribuitur.*

BIBLIOTECA CENTRAL